UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adolescens Academicvs Svb Institvtione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633

Pars Qvarta. Virtutes Academici Adolescentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49007

Visual Library

Industria, et Constantia . 16.

Hic labor est, fructusqz laboris.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SYMBOLI EXPLICATIO.

Laboriosa & permolesta est omnis agricolatio: proscindẽdus, cõplanandus, expurgãdus ager, quanto studio parandus etiam ante sementem? presertim, si solũ sit naturâ infœlix, aut spinis, saxisque horridum. Idem, mi Adolescens, de te cogita: nisi diu multumq; animũ excolueris, frustra eruditionis segetem, laudis messem expectes: sunt quidem etiam ab artibus ingenuis vitæ subsidia, sed si constanti labore, quem ducere cœpisti circulum absoluas.

Nunc egredere ad camporum aperta, & istic tum mihi

primò formicarũ agmen conſpice; & demirare: pro colligenda condendaq; in hiemem annona quàm deſudant? oneribus vix breues humeri ſufficiunt, tamen annituntur, & per feruentes ſemitas conuehunt, quantum per ſoles benignos poſſunt. Sapientiam ab animalculis diſcere ne te pigeat.

Habes hîc quoque Magiſtram Apem, pro ſchola apertum Aluearium: condiſce etiam in hoc ludo operis ſtudium, atque induſtriam, ex aculeatis roſetis florem apes colligunt, inde mel cõficiunt: nimirum, duri laboris fructus eſſe iucundi ſolent.

INSTITVTIONVM SALOMONICARVM

PARS QVARTA.

Virtutes Academici Adolescentis.

CAPVT PRIMVM.

Industria & Constantia.

MONITVM.

Ad messem animum complanato, expurgato, arato, serito; labore & constantia exerceto.

SALOMON.

QVi operatur terram suam, satiabitur panibus. Prouerb. 12.

Si impiger fueris, veniet vt fons messis tua. & egestas longè fugiet

giet à te. Prou. 6.

Qui congregat in messe filius sapiens est: qui verò stertit æstate, filius confusionis. Prou. 10.

Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Prou. 6.

Vade ad Apem, & vide quomodo operaria est, operationem quoque quàm venerabilem facit. Prouerb. 6. ex 70. in cod. vatic.

MEN-

MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Ingenium & labor ingenium pariunt, idque ex agricultura docemur.

OPtandæ quidem hæ duæ res in literarum ac Philosophiæ pręsertim studiosis, ingenium & labor: (nam qui vtroque caret ab ingenuis artibus & scholis ad seruile opificium est ablegandus) verùm, quia ingenium, eximium istud naturæ bonum, plurimi adferre ipsi non possunt; id saltem curandum, vt quod in potestate habent, laborem, eumque industrium satis de se, constantem certè adhibeant. Ac in Philosophia quidem quantum id desideretur, quantumque valeat, Gręci appositè olim significarunt. Pingebant Herculem, qui telo trisulco tricipitem illam belluam, Cerberum ex Inferis extraheret,

ret, atque ita docebant Philosophiam, quam trifariam in Logicam, Ethicam, Physicam partiebantur, etsi in abstrusissimis quodammodo specubus latitet, laboriosi tamen, & diligentis hominis operâ, proferri in lucem posse. Hinc opinor factum, vt Cleanthes ille, quem tardissimo fuisse ingenio tradunt, quòd magno & forti labore insignis Philosophus euasisset, alter sapientię Hercules appellatus sit. Et locus eruditioni sacer olim Heracleum dictus est ab Herculis statua, quę ante gymnasia poni solebat: vt fortes esse admonerentur, quicunque ad scientias addiscendas accederent; quare & ipse Hercules à Gręcis μουσαγέτης appellatus. *Nihil autem est*, inquit Seneca, *quod non expugnet intenta ac diligens cura*. Auget idipsum allatis etiam exemplis Plutarchus, *Multum*, ait ipse, *rerum contemplatione addiscere potes, quantum ad perficiendas res efficacitatis, atque virium habeant, industria atque labor: nam & aqua guttatim lapsa lapidem cauat, & ferrum atque as manus contrectatione atterunturr*: atque ex hoc communi hominum sensu fluxere illa, quæ iam vulgatissima sunt, *Musæ in montibus habitant, Dij omnia laboribus vendunt*, quo etiam pertinet istud non insulsi Poëtę nuperum carmen.

De Educ. liberor.

Absque labore nihil, Domiti, nihil absque labore:
Vox vetus, & vera est, absque labore nihil.
Ipsi Cœlicolæ vendunt sua cuncta labore;
Nec, nisi callosis, præmia dãt manibus.
Pulchra quidem virtus: sed sole & pulvere fusca,
Sudatrix Diua est, otiaq; alba fugit.
Otia tu sequeris, Domiti piger, exue pigrum,
Quid pila, quid somnus, nuxque, trochusq; dabunt?
Tolle animum vilem, vili tellure iacentem;
Atque vt magna feras præmia, magna velis.
Quid quereris, non vlla tibi, quod præmia dentur,
Et nulla in tota sit tibi palma schola?
Segnis ὄνος donec fueris, ne præmia speres:
Aspira; veniet mox tibi pulcher honos.

Bahus. lib. 3. Epigram.

Verùm omnium scitissimè Salomon tum sapientiæ labores ac studium agriculturæ comparat, tum illius studiosos ad formicarum Apumque disciplinam transmittit.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, si impiger fueris, veniet, vt fons messis

messis tua, & egestas longè fugiet à te. Sicut ille, ait, qui multo sudore agrum excoluerit, tam vberem ac copiosam messem inuehet, vt ad satietatem, imò ad delicias congestûrus sit; ita qui animum sapientiæ culturâ quasi arârit sedulò, omnibus, quæ in vita homini optanda sint, bonis, opibus, honoribus, delicijs perfruetur. Sed non omnis æquè tempestas ad messem idonea: quare ij, qui in re rusticana versati sunt, ęstate, quòd hoc tempus sit oportunissimum, falcem maturæ segeti adhibẽt, manipulos conficiunt, domumque comportant vrente licet æstu: sic tibi, Adolescens, tempori prouidendum, dum fert ętas, operam vt sapientiæ parandæ industriamque impendas: nam si te iam somno atque inertiæ dedas, studiaque differas in frigidam ac torpentem senectam, eueniet proculdubio, vt spe decidens, probrum & fabula factus queraris serò de neglecto tempore, tui que tum demum pudeat, cùm præsentissimæ occasiones præteruolarint. Quare audiendus tibi est Porcius Iatro, disertissimus Rhetor, cuius est vetus istud dogma templo Delphico dignum. *Quære Adolescens, vtere senex.* In adolescentia inquam (quod etiam dicere solemus) para viaticum

ticum senectuti: certè quemadmodum apud Plautum Pater Filio loquebatur, vt in colendo agello ad laborem exacueret. *Tibi aras, tibi occas, tibi seris tibi eidem metis: Tibi denique ipsi pariet lætitiam labor.* Atque huc tãdem incidit Salomonis Formica, ad quam bestiolam hominem pigrum sapiens ablegat: quod ne aut mirum aut nouum esse putes, istud cohortandi genus, quod à brutis ducitur, & acre est, & in scriptura non semel, à Patribus verò sæpenumerò vsurpatur En tibi aureum os Chrysostomum. *Non erubescit scriptura, animal rationis honore donatum, brutorum discipulum facere: cùm enim homo ex scripturis virtutem discere renuat, nec Doctoribus aurem accommodet, eum ad bruta ablegat. Quemadmodum patrifamilias vsuvenit, qui filium aliquem suum natu grandiorem verbis castigaturus; ei filiorum suorum, qui eo ætate minores sunt, exemplum proponit: vt eo perspecto illum pudeat, pigeatq; se puerulis istis virtutum atque morum honestate cedere.*

In Mercat.

Homil. 12. ad pop.

Similia tradit S. Basilius de diuino iudicio verba faciens: cùm enim docuisset brutorum exempla nobis dari à Deo, vt ijs doceamur & corrigamur: subdit fore, vt si disciplinam fuerimus auersati, id in

Homil. de Iudic. Dei.

id in magno illo atque formidabili Iudicij die, ad ignominiam & condemnationem obijciatur. Sed nunc ad rem propiùs.

§. II.

Laborem industrium docent formicæ.

NIhil in agris magis obuium, quàm myrmecia & formicarum exercitus, ita facilis est hæc schola, & cuiuis patens: neque est quod quenquam pudeat à perparuulis hisce animalibus mores trahere: nihil enim est illis non modò ingeniosiùs, sed neque solertius: quæ res nonnullos impulit, vt mentem rationemque concederent, multi saltem memoriam, plerique omnes aliquam Reip. formam, atque administrationem. Quare Pythagoræi, qui animarum transmigrationem adstruebant, Vlyssis hominum suo æuo callidissimi animam in formicam animalculum sagacitatis plenissimum transisse tradebant: vt in designando corpore τὸ πρέπον seruare viderentur. Certè Chrysostomum ipsum, quem iam laudabamus, non puduit olim in eum ludum discendi

Plin. l. 11. hist. c. 30.

discēdi studio conferre. *Formicarum*, ait, *facti sumus discipuli, formicarū æmulatione viuimus, formicarum conuersamur exemplis. Vade* & tu, mi Adolescens Academice, *ad formicam, & considera vias eius:* semitas quidem quas perangustis callibus vel per duros silices sibi sternit, vias autem, rerum, inquam, ingentium molitiones, quas non modo generosè aggreditur, sed etiam constanter perficit. Itineris ducem habent oues & grues, regem Apes, Præceptorem & Magistros boues & equi, illi enim hos instituunt, stimulant, ad opus vrgent. Formicæ solo naturæ instinctu, ac genio suo diligentiam præstant, improbè laborant, & temporum oportunitatem secutæ in venturam hyemem recondunt, non auaritiæ aut luxus studio, sed quantum ad bestiolæ vitam tenuiter sustentandam vident fore necessarium. Verùm hæc quæ generatim dicimus, enucleatiùs, exactiùsq; demonstremus: vt vim habeant, tum ad docendos, tum ad commouendos animos, vehementiorem. Serm. de Pentec.

Desidiam adeò fugiunt, & laborem amant formicæ: vt, si cælum & valetudo patiantur, nullus illis otio dies vnquam pereat. Silices ipsas assiduo ad Formicarum labor

opus feruentium concurſu attritas videres: in plenilunijs etiam noctu operari: nam interlunijs, quòd lumen deficiat, neceſſitate magis, quàm ſponte ceſſant. Quanto autem conatu ac molimine humeris ac cruribus connixa onera, ſe multis partibus maiora mordicus tenendo in horrea conuectant?

Induſtria. Deinde quâ in operibus induſtriâ, quâ naturæ ſolertia vtuntur? viarum compendia continuò ſectantur, quo minor ſit erratio, aut temporis iactura: cùm cibos humidos eſſe deprehendunt, foras ad ſolem exportant, ſi ſudum ſerenumque fore cælum pręſagierint, (nam dicuntur etiam quandam habere temporum præſenſionem) cùm verò grana primum in penuarium conuehunt, veritæ ne humo confota repullulantiaque ſibi pereant; erosâ eâ parte, in qua eſt germen, inferre ſolent. Portento ſimile eſt, quod S. Hieronymus grauiſſimus author ſcribit defunctorum exequias indici, & iuſtis funebribus in formicarum Repub. parentari. Ac ne quid deſit Ælianus etiam ſarcophagum, feretrum, & funebrem pompam tribuit. In Architectonica quoque præſtant, nam tripartitas cellulas, vnam maribus, alteram fœminis, tertiam annonæ ſeruandæ

S. Baſil. hom. 9. Hexameron.

In vita Malach.

Lib. 6. c. 49.

dæ horreum dędaleâ arte efformant, vt neque à gentis hostibus, neque à Cælorum iniurijs lędi possint: ad annonam quod attinet, eam metiuntur tam exactè: vt nec plura, nec pauciora condant, quàm satis sit, quibus in annum frugaliter viuant. Si quando aquæ tranandæ sunt, posteriores præcedentium dorsa mordent; itaque mutuo nexu fultæ sine periculo transmeant. Suas etiam collocutiones redditionesque rationum certas & statas habent: cùm enim ex diuerso conuehant altera alterius ignara (vti obseruatum) dies ad mutuam recognitionem per speciem nundinarum instituunt: *Quæ verò tunc earum conuersatio* (inquit Plinius) *quàm diligens earum cum obuijs quædam collocutio atque percunctatio?* Adhæc suas habent ferias, neque enim solùm interlunijs, ab opere vacant: sed quosdam insuper dies otio indulgent: quod non exiguum est in bestijs prudentiæ specimen. Deniq; quod maximè in formicis laudat Salomon, singulari prouidentia in futurum longè prospiciunt: æstate, quo tempore opportunitas suppetit, coaceruant, atque in penuarijs comprimunt: vt in hyeme, cùm magna est raritas, caritasque annonę, & difficilior ventura, de thesauro Sup. 2.

promant, quantum opus sit: contra faciunt cicadæ more suo: æstate varijs sese cantilenis oblectant, venturæ hyemis nihil cogitantes, quæ vbi aduenerit inopia & fame contabescunt: quâ de re non inelegans extat Apologus: Fortè quondam accidit: vt quod fit, formicæ grana putrescentia siccanda ad solemè terræ hiatibus sedulæ exportarent; præteriens cicada orat, vt esurienti sibi perpauculum impertiant, cui formica senior, *Quid verò tu*, inquit, *per æstatem actitabas? cur tibi tunc, quod nunc mandero, non collegisti? subdit cicada, non eram otiosa, ô bona soror, canebam tum musicè*: hîc coorto risu formicæ, simul acutè profectò, *Si æstate*, aiunt, *cantasti, hyeme saltas*: cum eo sale, vacuam, vt venerat, abire iusserunt.

Constantia.

Placet nunc in illo industrio, quem dixi labore, constantiam atque assiduitatem notare, continuo tùm itu, tùm reditu ad scrobes, saxa ipsa excauant: tantum valet labor assiduus. Iter quod semel institerint, totum agmen insistit, neque vsquam à susceptis tramitibus aliorsum deflectit: ea est in proposito pertinacia. Si quando oneri impares se esse sentiant; non absistunt tamen, neque desistunt, saltem experiri conari-

que,

ſque, humeris pedibuſque connitentibus: vt integra boum cadauera ſubinde auehere etſi irrito conatu moliantur: tanta vis aut bilis formicæ ineſt. Non contentam diurnis ſolibus ad lunæ lumen noctibus operari ſuperius dixi: Ea eſt in opere conſtantia.

§. III.

Apes paria formicis docent.

TRanſi nunc, mi Academice Adoleſcens, ad celeberrimam Apum ſcholam, quo te pridem Salomon inuitat. *Vade*, ait, *ad Apem, & vide quomodo operaria eſt, operationem quoque quàm venerabilem facit.* 1. Sunt eæ non minus, haud ſcio an non quàm formicæ, magis laborum amantes, otij verò fugitantes ſupra fidem. Hyeme quidem ab occaſu Pleiadum, vſque ad Æquinoctium ſe in aluearibus continent, frigore ſcilicet cogente, ne vitam amittant: verùm reliquâ anni tempeſtate gnauiter laborãt, niſi morbo impediantur: ac ne cælo quidem turbido planè otiantur: excrementa enim ſaltem, teſte Plinio, vnum congeſta in locum domo egerunt. Primo vere fauos conſtruunt, tum ceras fin-

Apum labor.

L. 11. hiſt. à c. 5.

gunt, id eſt, ædium cellulas; deinde ſoboli progignendæ vacant; poſtremò mella diuinum munus conficiunt: interdiu ſunt, quæ ad portas vigilent, ventis ac imbribus expoſitæ in morem caſtrorum: ne quâ irruant veſpæ prædones: ſunt quæ noctu excubent, paruamque vrbem alijs dormientibus tutentur, indicto ſeruatoque intra muros religioſo ſilentio: cùm diluxerit, vna excitat reliquas gemino triplicique bombo quaſi buccinâ: ad eiuſmodi autem tum vigilias, tum excubias, ferè eæ deputantur, quæ mellis conficiendi, condendique induſtriâ carent; ne nihil agant, eædemque ob eandem cauſam ore, totoque corpuſculo collectam deferunt vetulis apibus, quæ honoris causâ Regem ſtipant, aut mortuos ex alueis ad ſepulturam efferunt. Denique ita ignauiam deteſtantur, & caſtigant apes, vt fucos iners pecus primo mane ad opera è domicilijs extrudant; tardiores ex ijs ſeuerè puniunt, aut exilio (quòd fit plerumque) aut nonnunquam, ad exemplum, extremo ſupplicio, Draconis lege, qui eandem otioſis hominibus olim pœnam ſanciuit: quæ mortis pœna cum Demadi oratori videretur crudelior, declamauit legiſlatorem illum

leges

leges ſuas ſcripſiſſe ſanguine, non atramento. Athenis Areopagi Iudices, etſi mitius, tamen graui mulctâ in deſidioſos ciues animaduertebant. Sinæ verò etiamnùm otioſos apud ſe minimè viuere patiuntur, ſine inſigni notâ ac dedecore. P. de Iaric. t. 2. l. 4. c. 20.

Induſtria in Apibus

Porrò non ſunt laborioſiores apes quàm ſolertes, atque induſtriæ. quantum artis habent fauorum crates, in quibus minutæ illæ ac rotundæ ędiculæ connexione ſui inuicem fulciuntur? Ecquis eas docuit hexagonica illa laterum indiſcretâ ęqualitate componere, tenues intra ſepta ceras ſuſpendere, ſtipare mella, idque in caliginoſis aluearibus, & ſub obſcuris tectis, intra cœcos parietes; perinde atque ad ſolem exactè & quodam pulcherrimo ordine? Mel verò ipſum, quod Plinius cæli ſudorem, aut quandam ſyderum ſaliuam appellat, quantâ ſolertiâ elaborant? quantâ deinde curâ, ne inquinetur, cauent, nam ea cauſa tantam munditiem ſeruant; vt neque rei grauiter olenti, aut immundæ vnquam inſiſtant, neque vllas in alueolis ſordes, ac ne ſociarum quidem cadauera patiantur: ex eodem puritatis ſtudio fit, quod mirere magis, vt caſtos homines ament, & ſectentur. Verùm nihil

Apum induſtriam prudentiamque tam commendat, quàm quòd domi Reipub. formam, foris ordinem militarem tam delineatè exprimant: vt ab ijs primi Vrbium, armorumq; moderatores tum adminiſtrandæ Reip. tum gerendæ militiæ exempla duxerint: quæ duæ res etſi pręſtantiſſimæ ſint, conſultò tamen celeriter pretereo, ne in re ſatis vulgatâ ſim longè, quàm interpretem deceat, prolixior; id tantum addam ex Plinio, propter iſtam præſertim regendi, agendique normam nonnullos homines tanto apum amore captos, vt in ijs alendis ætatem ſuam contriuerint, atque ex eorum numero Ariſtomachum quendam duo de ſexaginta annis aliud nihil, niſi apibus contemplandis egiſſe, quo de Philoſophandi ſtudio, vitreorum opinor alueatium vſum iam celebrem eſſe cœpiſſe.

L. 11. c. 9.

Apes indefeſſæ.

Reſtat apum in laborando conſtantia, de qua id generatim breuiterque dici poteſt. Quamdiu tempus ſuppetit, nulla quies, nulla intermiſſio; ſemper ſectantur, quod omnes moliantur.

Virg. l. 4. Georg.

Mane ruunt portis, nuſquam mora.
At feſſæ multâ referunt ſe nocte minores
Crura thymo plenæ.
Labor omnibus vnus:

Sæpe

Sæpe etiam duris errando in cotibus, alas.
Attriuére, vltroq; animam sub fasce dedêre.
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Habes igitur, Academice Adolescẽs, in duabus exiguis animantibus præclarissima laboris, industriæ, constantiæ exempla, quæ ęterna mens idcirco mutis animalculis indidit: vt tu, grandius scilicet animal atque diuinius, imitareris. Heu! ne istam tuo nomini aut generi nostro labem inuras: vt te patiaris brutis esse peiorem; esse autem te oportebit, si in disciplinis capessendis laborem, industriam, assiduitatemque refugias.

Et ecce reuolant huc Ambrosianæ apes, neque se taceri sinunt. Infans Ambrosius in area Prætorij, inque cunis positus aperto ore cùm dormiret, subitò apum examen adueniens, ingrediendique in os & egrediendi vices frequentans, diu lusit. Quo portento intellectum, eum assiduo ac peruicaci, simulque industrio labore, eruditionem tantam olim comparaturum, quantam posteriores ętates senserunt, eam verò tam melleam ac suauem; vt, qui Ambrosium legunt, Ambrosiam sibi degustare videantur. In vita.

deantur. At tu laborem auersaris: & vti olim Florus Poëta, flores amas, sed odoriferos, non amara thyma; vmbram sequeris, non solem, aut puluerem. Quid inde? ergo, nihil vmquam amplum consequêris; Satîne rectè Philosophor? audi rem oppidò lepidam.

Florus in Adrianum Cæsarem, satis acutè, vt arbitrabatur, ita scripserat.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Cui mordacius Cæsar rescripsit hos versiculos.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per popinas,
Latitare per tabernas,
Culices pati rotundos.

Pungant nonnihil te, isti culices; sed tamen totus repugnas, multaque in promptu habes, quæ obijcias. Primùm meus Magister nimis est homo durus, valeant literæ, istam Dionysij Syracusani tyrannidem diutiùs non patior. Siste, & antequam te perditum abeas; paucos boni monitoris versus, excipe, fortè frenos fugæ inijcient, reducentq; ad saniorem mentem. Ausonium dabo non malum, vt nosti, Poëtam.

Eydil. 5.

Disce

Disce lubens tetrici nec Præceptoris habenas
Detestere nepos; nunquam horrida forma magistri
(Ille licet tristis senio nec voce serenus
Aspera contracta minitetur iurgia frontis).
Nunquam immanis erit, placida assuetudine vultus.
Qui semel imbuerit, rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem, pappos, auiasque trementes
Anteferunt Patribus seri, noua cura, nepotes.
Sed neque Pelidem terrebat Achillea Chiron
Tessalico permixtus equo, nec pinifer Atlas
Amphitrioniadem puerũ. Sed blandus vterq;
Mitibus alloquijs teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque, ne metuas, quamuis schola verbere multo
Increpet, & truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit: at tibi cõsta
Intrepidus, nec te clamor, plagæq; sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis,
Quod sceptrum vibret ferula, quod multa supellex
Virgea, quòd molli scuticam prætexat alutâ,
Quod feruent trepido subsellia vestra tumultu
Pompa loci, & vani fugiatur scena timoris.

Quan-

Quanquam nihil ita tragicum viderim in altioribus illis Sophiæ pulpitis: vt tanto ere Magistrorum frontem, ora, manus pertimescas: nam ij oratione & ratione cum Philosophis agere contenti ferè à verberatione abstinent. Ferrem, ais, equidem ista fortasse: verùm pro re deridicula habeor, & à condiscipulis passim Arcadiæ pecus, apertè asinus, inter olores anser, audio. Ita præter magistri istam seueritatem, sociorum præterea molestijs excarnificor. Expedio me hisce omnibus cruciamentis, hincque properè auolo. Noli, obsecro, nam quo te amens proripis? Verbulum saltem ex Plutarcho. *Cleanthes & Xenocrates vterq; patiebantur se rideri ab ingeniosis quod ipsi tardiores essent, nec tamen profugerunt à discendo, nec animos desponderunt: sed vltro in seipsos dicteria iactabant, se vasis angusti orificij & tabulis aneis similes dicentes: vt qui agrè Doctorem perciperent; perceptà tamen fortiter constanterq; retinerent.* Quia Cleanthem loquimur, istud etiam accipe ex eodem Plutarcho, eodem enim pertinet. *Cleanthem Antigenus Rex, cùm longo intercepto tempore vidisset Athenis, interrogauit, etiamne molis Cleanthe? Ego verò,* respondit ille, *ô Rex, idq; vitæ tolerandæ facio, facturus quiduis*

De Audit.

De vit. ære alieno

quiduis aliud, dum ne à Philosophia auellar. Quàm placido ille vultu sannas & iocos tulit? *En tibi ingentem viri animum* (exclamat idem scriptor) *qui à pistrino & alueolo pistorio digressus ipsâ manu, quâ molam versauerat, aut farinam coquendo pani subegerat, de Dijs Lunâ, Sole sideribus scriberet.* Molis me, inquis, istâ Philosophi molâ, & ferè animum emollires, nisi adesset aliud incommodum, quod me potissimum premit: nam vt ad studia animus sit; desunt opes, quibus me in literarum otio alam, ac sustentem. Pergamus igitur ferrum tundere, dum calet. Ego verò opes studijs obesse magis, quàm inopiam arbitror. Pauper sanè ad Philosophiam expeditum iter habet, diuitem multa præpediunt. Non equidem inficior auream, quam Salomon à Deo contendebat, mediocritatem sapientiæ studijs plus commodare, quam summam aut egestatem, aut opulentiam: sed nego, aut opes requiri, aut inopiam omninò obstare. Vt Philosopharetur Anaxagoras sua in amicos dispertijt, Socrates in mare abiecit, Xenocrates ab Alexandro missa munera repudiauit, Aristippus quoque, cùm partim offerrentur, partim præstò essent, generoso fastidio contempsit. Iam

Demo-

Demosthenis Pater cultellos vendidit, Euripidis mater oluscula. Nulli eorum paupertas eruditionis, honorisque templum clausit. Vis alia? Zeno è naufragio Athenas venit inuestis vt anguilla, tumque primùm philosophari cœpit. Menedemus Princeps inter Socraticos fuit: is Patrem sortitus est pauperem Architectum, & cum interdiu Philosophiæ operam daret, noctu pinsebat, idemque de Asclepiade Philosophiæ studioso memorant, Plautum omitto, quem molam quoque in pistrino versasse constat. Sed huc iterum redit Cleanthes, neque omittendus est. Ille Athenas venit quatuor drachmis instructus, ibi cùm à Zenone erudiretur, cogente inopia noctu in hortis aquam hauriebat, vnde nomen accepit, interdiu autem Philosophiæ operam dabat. Coactam aliquando stipem plenus animi magnitudine in medium familiarium cum his verbis coniecit, *Cleanthes iam alium Cleanthem alere possit, si velit.* Adrianus Sextus Pontifex Max. fuit, idem à studijs Carolo V. Imperatori fuerat. Is cum Louanij literas tractaret, adeò ab opibus nudus fuisse proditur: vt ad publicam lucernam noctu lectitare cogeretur, quòd ad candelas, oleúmve emendum,

mendum, nihil haberet. Nemo igitur, ne is quidem, cui, vt loquitur Catullus, nec seruus est, nec arca, nec cimex, nec araneus, modò animus adsit, non modò à consequenda scientiâ, sed ne à summis quidem honoribus adipiscendis desperet. Das iam mihi, vt apparet, manum, teque in scholis retineri pateris: sed alius nescio quis obmurmuret, & telum istud alterum obiectet. Quorsum mihi ego ita hostis, atque infensus sim, vt his me illætabilibus, imò lethalibus studijs enecem? nam (vt de librorum expensis nihil conquerar) ita iam nunc totus chartis impallui, breui vt futurum sit, vt immoriar, si hîc diutius immorer. Hîc verò planissimè erras, mi bone vir, quisquis es: studia si ordine methodoq; instituantur, nihil, aut parum de vita absumunt: luxus, delitiæ, otium potiùs hominem necant, tandemq; perimunt. Excusas inualetudinem, insomnia, librorum pretia, taces quòd noctes totas aleæ lusibus poculisque impendis, qua ex re, præter sumptus, febrim contrahis, podagram, hydropem, lippitudinem: ex luxu præterea paralysim, tabemque infamiæ plenissimam: quorum similia incommoda à moderatis studijs nulla existunt. Isocrates librum, qui Panathe-

naicus

naicus inſcribitur, quatuor & nonaginta annos natus ſcripſiſſe dicitur. Eius Magiſter Leontius Gorgias centum complerat. Democritus centenario quatuor addidit. Hyppocrates totidem, neque Galenus annis multò fuit minor, traditur enim peruenisſe ad grauiſſimam ætatem. Plato diuinus ille Philoſophus vno & octuageſimo anno ſcribens ereptus eſt. Cicero in Catone eiuſmodi plures adducit longæuos, eoſdemque eruditos, Sophoclem, Homerum, Heſiodum, Pythagoram, Socratem, Zenonem, Diogenem: in quibus omnibus ſtudiorum cogitatio æqualis vitæ extitit. Quid tu ad hæc? placent ſic ſatis: ſed tamen: age quid iſtud? ingenium, ceteræque naturæ dotes, quia deſunt, à ſtudijs auocant. Salutaui iam Philoſophiam à limine, adeò triſtes & moroſos vultus illa intranti oſtendit: vt pedem efferre lubeat: enimuerò in primo Logices aditu atque adſpectu, quàm gordianæ tricæ, quàm Cimmeriæ tenebræ: feliciter luſit, qui literis ſolo ſitu mutatis iſto anagrammatiſmo riſit, *Logica, Caligo*: demus tamen importunitati: vt mihi exiſtimem frangendam eſſe eam nucem, eſitandumque, quem intriui, panem, atrum licet, atque tetrum, quid verò

verò ad me Iurisprudentiæ inhianti quęstiones Physicæ? aut (vt plurimum concedam) Physicus fiam, præsertim si Medicus postea fieri velim; quid verò cum Metaphysicis calliditatibus mihi est negotij? nam futuro Theologo fortassis omnem illam totius Philosophiæ molestiam esse exsorbendam, non perpugnaciter dissenserim. Iam, Academice Adolescens, quisquis es, Philosophari, id est, ratione agere videri possis: est tamen in tuo illo discursu, quem ipsi Philosophiæ debes, error quidam ex rei ignoratione profectus, quem vbi veluti nubem vmbramve dissipauero, abire te sinam; si insanire & perire omnino decreuisti. Atque in primis, quod ad ingenij, iudicij cęterarumque rerum supellectilem, quam ais tibi à natura curtam, attinet, dabo duos ex veteri Philosophia Poëtas, qui prętер exempla, quæ superius allata sunt, similitudinibus appositis demonstrent animi tarditatem, non omnem ad ingenuas disciplinas viam intercludere, si modò obstinatâ constantia perrumpere constituerit. En tibi primò Lucretium.

Nam leuiter quamuis, quod crebro tunditur ictu Lib. 4.

Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit.

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes

Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Accinit his Heſiodus.

Nam ſi vel paruum, ait, *pergas ſuperaddere paruo*

Vt crebrò id facias, ingens exiſtet acerum.

Vſus pręterea apte & magiſter rerum tempus, aliquid, imò plurimum conferent. Fateor in primo ad ſapientiam ingreſſu difficilia, atque implicata quędam occurrere: quæ vlteriora nihil perſpicientem deterreant: ſed iſtud cogitandum, quod in cęteris rebus omnibus, nihil eſt, quod aſſuetudine non atteratur, reddaturque facilius. S. Bern. vir ille, cuius inſtar mellis ſuauiter fluit oratio, iſtud Prophetæ Iob, *Quæ prius nolebat tangere anima mea, præ angustia cibi mei ſunt*, diuinè explanans. *Primum*, ait, *impatibile videbitur aliquid, quòd ipſo tempore, ſi aſſueſcas, iudicabis non adeò graue; paulò pòſt, & leue ſenties; paulò pòſt nec ſenties; paulò pòſt idem delectabit.* In rem pręſentem accommodatè Aulus Gellius. *Huius diſciplinæ ſtudium atque cogitatio, in principijs quidem tetra & aſperna bilis, inſuauiſq; eſſe, & inciuilis videri ſolet: ſed*

De conſid. ad Eugen. Cap. 6.

sed vbi aliquantulum processeris, tum denique & emolumentum in animo tuo, & sequetur quędam discendi voluptas insatiabilis. Aptissimè Plutarchus. *Auditor sic statuat, se Philosophiæ tanquam mysterijs quibusdam magnis initiatum: Primas lustrationes, atque tumultus vbi pertulerit, spem habere iucundi splendidiq; fructus præsentem molestiam & conturbationem secuturi.* Nihil adderem, neque enim video, quid neruosius, aut efficacius adferri possit; nisi magni sanè momenti quęstionem, quam digito tetigisti, paulo expliçatius tractandam hoc loco esse iudicarem. Lib. 2. de Audit.

Est autem illa eiusmodi. *An vniuersæ Philosophiæ studium, non modò ad Theologiam necessarium sit,* sed vtile saltem & percommodum ijs, qui ad Iurisprudentiam vel Medicinam animum applicant: qui enim hoc consilij cœperint, ferè ex minimâ causâ relicto, quem tenere cœperant, Philosophiæ cursu, facile ad ista alia conuolant, quòd frustra inutilibus studijs ętatem sibi impendendam esse existiment: verum in principijs errant, ideoque male concludũt. Bene Plutarchus: *Vt Tragœdi in Theatris: ita Philosophus audiendus est ad finem vsque.* Non est existimandum, sicut Lernę dentes Iouis satu (vt est in fa- In Moralib.

bulis) in terram ſparſis, repente die ipsâ gigantes proceri, & armis inſtructiſſimi prodierunt: ita ſubito breui tempore Philoſophos, aut omnino Eruditos euadere: dum nimium procurris, caue, ne impingas. Nota iſta in triuijs, *Canis properans cœcos parit catulos, & feſtina lente*, grauiter dixit Alexander, *Feſtinatio multorum malorum cauſa:* rectè etiam Sophocles, *Periculoſa eſt præpropera prudentia:* rectiſſimè Publius Syrus, *Omnis mora odioſa eſt: ſed facit ſapientiam.* Nũc quod ad rem ipſam ſpectat paucis ſic ſtatuo, primùm Logicam tam eſſe ad omnes ſcientias neceſſariam, quàm ſit ipſa ratiocinatio: cùm enim ea ars rationem dirigat, & veluti prętensâ face ducat, ne in errorum abrupta præcipitet, tam ſine Logicâ peruenirí nequit ad cæteras diſciplinas, quam ſine oculo iri aliquò non poteſt. Deinde aſſero Phyſicam quæ rerum naturas, vireſque explicat, ei ſaltem qui Medicinam meditetur eſſe oppido neceſſariam, Phyſica corpus naturale conſiderat, Medicina in eodem ſanando ſeruandove occupatur: an ſanabit aut ſeruabit Medicus, ſi corporis humani conſtitutionem, ſi Elementorum, Cælorumque proprietates, ſi gemmarum, lapidum, herbarum, florum,

rum, medicarumque rerum occultas vires, quæ Physicæ sunt tractationis, ignoret? Verum est istud, quod est vulgò iactatissimum. *Incipit Medicus, vbi desinit Physicus.* In Iurisprudentiæ studioso rerum naturalium cognitionem requiri non æque liquet: requiri tamen censeo, nam quî pro reo aut contra reum dicet, quâ ratione iudici, atque populo fidem faciet, quibus argumentis ad persuadendum dissuadendumve vtetur, nisi ex Philosophiæ armamentario hastas, & clypeos expromere, è rerum natura sumptis amplificationibus orationem illustrare atque exaggerare cognorit? Metaphysica saltem Medico, aut Iurisconsulto erit superuacanea; ne id quidem admisero: si modò excellens in vtraque illa arte euadere velis: nam vt Logicam ad scientias necessariam, ita Metaphysicã ad scientiarum perfectionem, absolutionemq; desiderari, existimandum est: cùm enim præstare in nulla disciplina possit, qui non entis ac veri notiones habeat perfectissimas; Metaphysicæ autem sit munus eas conceptiones in animo proprias genuinasque efformare, hac vnâ scientiâ si carueris, nusquam Magister esse possis: Atque ex ijs istud postremò conficitur, ei qui ad

Rempublicam sit accessurus vniuersæ Philosophiæ quoq; supellectilem prius esse comparandam. Quid enim? an prudenter & tutò ad clauum sedebit, qui conceptiones rerum proprias, dicendi persuadendiq́ue vim præstantem, quæ sine sapientiæ cognitione haberi non possunt, non sibi prius conquisiuerit? alioqui configatur celeberrima illa Platonis viri sapientissimi sententia, qui docebat beatas tum demum fore Respublicas, in quibus aut Philosophi regerent aut Reges philosopharentur. Dicam, quod minus probari posse videatur, ne Ciuem præclarum quidem esse, aut cum laude inter contribules posse versari, qui ex Logicis saltem scholis rectè ratiocinari, ac propriè loqui nunquam didicerit. Nam si Physicæ sit ignarus, quàm sæpe erit ei in circulis ac consessibus turpiter contiscendum? quid enim eo homine fiet, vbi de maris fluxu & refluxu, de gemmarum plantarumq́ue natura, de terræ succussionibus, de ventis, de niue, de grandine, de tonitru, de fulmine, de stellis, de Ecclypsibus sermones, vt fit plerumq́; inter suos inciderint? Sapienter igitur Diogenes cuidam garrienti se Philosophiam parum curare, respondit, *Ad*

quid

quid viuis, si, vt rectè viuas, tibi cura non est? Meritò Romanus Orator Matrem omnium bonarum rerum dicebat esse sapientiam, quâ nihil à Dijs immortalibus vtilius, nihil salubrius, nihil præstabilius hominum vitæ mortalibus datum esset. Sępe alias idem Philosophiam appellabat vitæ ducem, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, Vrbium, Legum, societatis denique humanæ procreatricem. Quæ cùm cogitaret Seneca, vir ille acerrimi iudicij, iure quoque sentiebat Philosophiæ nullum satis tempus magnum esse, etsi à pueritia vsque ad longissimos humani æui terminos vita protenderetur. Verùm contra Philosophiæ tum osores, tum vituperatores ista hîc satis. Ex illa Ludicra pugnâ, quasi dato classico, quia à parte nostra stat victoria, reuocari nos in vmbram non ægrè patiamur.

ORATIO.

Pro industrio & constanti labore in excolendæ mentis studio.

OMnipotens & sapientissime Deus, qui in rebus minimis æquè, vt in maximis, te mirabilem ostendis, & qui nos homulos rationi minùs auscultantes ad Formicarum Apumque scholam remittis: vt ab ijs ad virtutum disciplinam informemur; da mihi per gratiam tuam: vt talem in virtutum, literarumque studio diligentiam, industriam constantiamque adferam, qualem à me requiris. Et quia animum tanquam agrum excolendum mihi tradidisti; fac ita fideliter serioque rem agere; vt in die iudicij, quando vnusquisque metet prout seminauerit, de corruptione metam incorruptionem, detersisque sudoribus labores manuum mearum in mensâ tuâ manducare valeam, quando momentaneum & breue hoc tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SYMBOLI EXPLICATIO.

Hercule hic magno opus, qui ferro & igne ſeptemplicem belluam domet: capitale iſtud monſtrum peccatum eſt, quam multicipitem Hydram edomuiſſe, erit ſupra duodecim Herculis labores, ac victorias.

Sta in arena, Adoleſcens, & pede preſſo cum hoſte non vno manum conſere. Quid fugis? ad peccati fœditatem & truculentiam horres, opinor, timeſq; ne tam exitialis peſtis vel afflet venenum, vel tactu noceat, imo necet: nihil remoror; ah cito fuge.

Præit

Præit Dux & monet, memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Mortem, Iudicium, Inferos, Cælum adspice, & diu, multumque cogita. His armis non tantum declinari Monstri furor, sed si stare malis, etiam domari, & vinci potest.

CA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPVT SECVNDVM.

Jngens peccati horror.

MONITVM.

Deum time; peccatum peste, morte peius fugito.

SALOMON.

PRincipium Sapientiæ, timor Domini. Prou. 9.

Timor Domini odit malum. Prou. 8.

Jn maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Sap. 1.

Pecca-

Peccatores prosequitur malum. Prouerb. 13.

Fugit impius, nemine persequente. Prou. 28.

Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia. Sap. 17.

Stultus illudet peccatum. Prouerb. 14.

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur. Prou. 5.

Deum time & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit. Eccles. 12.

MEN-

MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Timor Domini principium Sapientiæ.

MEminisse hic te imprimis oportet, Adolescens Academice, quod alias monui, Christianam sapientiam nec esse nudam solùm, atque inanem veri inquisitionem aut scientiam, quam nonnulli consectantur: sed honesti probitatisque studium atque comprehensionem: rectè enim & ex virtutis normâ mores suos componere; hoc demum sapere est, hoc esse veri nominis Philosophum, imo sapientem. Atque hæc ipsa est sapientia, cuius principium esse Domini timorem dixit Salomon. Verùm Diuini timoris non vna est indoles. Vnus enim est ingenuus & nobilis timor, ab eo amore profectus, quo liberi bene nati, atque educati Parentes

suos

ſuos ſyncerè diligunt, eâque causâ grauiſſimè deteſtantur, quæ illi oderint. Alius eſt in nonnullis timor, abiectæ & ſeruilis conditionis, quem pœnæ infamiæque horror, aut cauſæ ſimiles pariunt; cuiuſmodi in ſeruis eſſe ſolet, qui etſi vitio ducendus non ſit, priori tamen longè eſt dignitate, meritoque inferior. Principium quoque non vno modo dicitur: iam, initium eſt rei cuiuſuis, & quaſi radix, vnde illa exiſtat; iam, primus anni fructus, pręcox adhuc neque ſatis maturus; poſtremò, quod in quaque re præcipuum eſt, & veluti caput. Ex quibus qua ratione Sapiens dixerit principium ſapientiæ eſſe timorem Domini intelligi poteſt. Imprimis enim diuinæ offenſæ timorem, ſi ex horrore & metu ſupplicij concipiatur, cùm ſeruilis ſit atque imperfectus, conſtat primam duntaxat radicem eſſe, & inchoationem quandam ſapientiæ, neque aliter, quàm pro fructu necdum ſatis cocto à ſapientia præmitti. Verùm ſi timor is ſit, qui eſſe debet, diuini Amoris genuinus partus, certum eſt non modo pręcipuam fore ſapientię partem; ſed ſingulare quoddam decus atq; ornamentum. Porrò quoniam qui aliquem amat, ideoque timet ne offendat, id

id etiam odio habet ac fugit, quòd alterum nouit odisse atque auersari: necessariò, quòd alterum est Salomonis oraculum, *Timor Domini odit malum:* peccatum, inquam, dirissimam illam animorum pestem horrorificumque monstrum: quod simpliciter atque omnino ita malum est; vt cætera quæcumque cum eo collata, ne mali quidem nomen mereantur. Verùm, priusquam illius aut fœditatem, aut malitiam persequamur (quod proprium est huius loci) conceptum ex sacro offendendi Numinis timore, peccati admittendi metum atque horrorem, viam, gradumque esse ad sapientiam demonstremus. En tibi oraculum.

§. II.

Peccatum pugnat cum Sapientiæ studio.

IN *maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Spiritus enim sanctus effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superuèniente iniquitate.* Nimirum, cùm eximium quoddam istud sit Spiritus sancti do-

num, nefas sit suspicari concedendum ijs, qui se ipsius Numinis hostes infensissimos profitentur: stulti verò, & amentis hominis est, studio & labore quantumuis improbo sperare consequi, quod, nisi pacato propitioque Deo, impetrari non potest: accedit, esse peccati grauioris, si foueat cor vim sapientiæ ita hostiliter infensam, atque aduersariam, vt sibi cum illa nullam retineri societatem patiatur.

Vt sapiens sis, aut vt omnino euadas, cōpositas esse oportet animi appetitiones, apprehensiones rerum veras, valere memoriam, ingenij aciem, iudicijque vim adesse maximam: mentem denique ne quid serijs studijs obstrepat, sibi semper præsentem: atqui flagitijs dediti homines, appetitiones habent efferatas, bellis cupiditatum intestinis exagitantur continuò, imaginationes verò fœdas, ac plerumque rerum falsissimarum idola sibi ipsis effingunt, memoriæ officinam confusissimarū imaginum istarum tumultibus perturbant, ingenij sui neruos animi mollitie debilitant, mentis oculos aut eruunt, aut obcœcant: ita denique deuastant commiscentq; omnia, vt inter tot motus audiri Musæ pacis, & odij amantes neque velint, neque

que verò possint. Itaque quàm fieri nequit, vt nube densâ, solem intercipiente, aut in cœnoso fonte oculus cœlestes radios aspiciat, si ipse præsertim noxio humore sit impeditus: ita abstrusarum rerum reconditas veritates vitiosus animus assequi non potest: & vt ista non sint, quæ diximus; tantæ tamen sunt in flagitiosis hominibus procellæ, quæstiones, tormenta, honores, metus, trepidationes, fugæ, examinationes: vt viuere, nedum philosophari neque libeat, neque vacet. Audiamus super ea re grauissimos scriptores. *Ipsas*, inquit Seneca, *nequitia tenebras timet: prima & maxima peccati pœna est, peccasse: nec vllum scelus impunitum est: scelus in scelere supplicium est, proprium est nocentium trepidare.* Pa'ria habet S. Augustinus. *Quisquis malus est, male secum est, torqueatur necessum est, sibi ipsi tormentum est, i se enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua, fugit ab inimico quò potuerit, à se quò fugiet? Quocunque fugerit se talem trahit post se, & quocunque talem traxerit se, cruciat se.* Iam Chrysostomus. *Explica mihi* (ait) *istius epulonis conscientiam, & videbis nimis graues peccatorum tumultum, iugem metum, tempestatem, turbationem. Videbis, velut in curia, mentem ad thronum conscientiæ con-*

Ad Luc. epist. 97.

In Psalm. 36. & 65.

Conc. de Lazaro.

sedisse, regalem & tanquam iudicem quem-piam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraq; conscientiæ radentem vngulis, pro commissis; Rem deinceps oculis subijcit. *Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit diues, etiamsi nullum habeat accusatorem: non desinit tamen intus seipsum accusare: & voluptas quidem temporaria est dolor verò perpetuus, timor vndiq; ac tremor, suspicio & anxietas; angulos metuit, vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit: Virum, quem affecit contumeliâ: obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cùm sit sui ipsius iudicio condemnatus, nec ad breue tempus possit respirare. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt: hoc & ebriosi: in summa, quotquot in peccatis viuunt.* S. verò Ambrosius tres producit scelerum carnificinæ testes, Adamum, Cainum, Dauidem: quorum primus cum Dei in paradiso ad auram inambulantis, propiusque aduentantis strepitum inaudisset, & necdum ad supplicium deposceretur, tamen fugit sui malè conscius atq; in latebras se abdidit. Alter veritus, ne ob fraternum parricidium, à quocunque obuio necaretur, in se

In Apolog. Dauid c. 9.

se tulit sententiam, quòd dignus esset cui nemo ignosceret: itaque cùm nullibi consistere posset, vagabatur, & oberrabat. Dauid denique idem de se fatebatur, *Peccatum meum contra me est semper*, id est, vt S. Ambrosius est interpretatus, sine interuallo aliquo recordatio & species ipsa mei me erroris impugnant: diceres militem armatum continuò ei obuersari ante oculos, vbique occurrere, incurrere, extrema minitari. Artemonem facilè prætereo, ne profana sacris immisceam: ille tamen ob insignem improbitatem atque nequitiam, adeò fuit meticulosus: vt cùm foris continuò in lectis portaretur, domi tranquillè desidenti duo famuli scutum æreum supra caput sustinere iuberentur, ne, nescio quâ re ex alto decidente, aut improuiso aliunde telo feriretur.

Psalm. 50.

Caussin. in symb.

At ne vetera magnopere requiramus, res ipsa quotidie loquitur. Vide tu mihi pauculos ex isto hominum flagitiosorum grege, Deus bone vt erubescunt, vt pallent, vt palpitant, vt dies ac noctes diris modis lancinantur? Prętorem, lictorem, carnificem, vbique instare, adesse suspicantur: tonat, fulminat, grandinat? peti se, iam iamque feriendos arbitrantur. Hinc fuga & late-

bræ: verùm frustra: vt enim ij, qui ad mortem ducuntur, furcam & laqueos suos; ita illi excarnificantem conscientiam secum ferunt: quocunque enim se proripiant; incurrunt in Deum improbitatis testem, iudicem, vindicem. Neque verò ista tantùm, quæ reuera horrenda sunt, isti timent; sed vmbras ipsas, exanguia spectra, inquietæ mentis inania somnia, strepitus foliorũ, pedũ strepitus, insidias omnium, etiam amicorum perhorrescunt. Agedum: vt res, quæ tanti est ad horrorem peccati cõcipiendum sapientiamque comparandam momenti, sit testatior; è sacris ipsis literis idipsum comprobemus.

Iob 15. *Cunctis diebus suis* (verba sunt sacra apud Iobum) *impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod de tenebris possit redire ad lucem, circumspectans vndique gladium. Cùm se mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Tenebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem qui preparatur ad prælium.* Legunt alij, *ad rotam.* Quid grauius dici potuit ad exponendam improborum calamitatem? succinctè Salomon, *Peccatores*

tatores persequitur malum, fugitque impius nemine persequente; rationem adfert Sapiens, *cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia. Siue enim spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.* Quid esse potest calamitosius? si ea, quæ fere cæteros oblectare solent, lenis auræ sibila, garrientium volucrum suauitates, lene labentis aquulæ rythmi, bonæ mentis oblectamenta, improbis timori sint, horrori, dolori? quis verò in tot, tantorumque malorum equuleo atq; catastâ distentus, vt in Ixionis axe, aut Sysiphio saxo, aut in ipso Phalaridis candente Tauro distractus, commolitus atque immugiens, satis tamen habeat aut animi, aut virium, vt ei etiam tum liceat, libeatve philosophari? Sap. c. 17.

§. III.

Sapientes id vident, & curant; stulti illudunt.

AT sapientes quidem id vident scilicet, & apprimè curant, atque adeò cauent; ne quod grauius animo flagitium designent, aut admittant: alijs persuadere etiam student: vt peccati tanquam fœdissimæ pestis odium concipiant. Hinc istud Iehu filij Naue monitum, *Quasi à facie colubri fuge peccatum, dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas,* Hinc Tobiæ quoque senioris ad filiolum ista, cùm testamentum conderet, adhortatio. *Omnibus diebus, vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue aliquando ne peccato consentias.* Extat & inter sanctissimi Ludouici Francorum Regis diuinissima pręcepta, quæ Philippo primogenito suo in Tunetana obsidione dedit, hoc documentum. *Caue ne vnquam admittas peccatum mortiferum: sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam.* Quam legem procul dubio ipse à te-

Eccles. c. 21.

Tob. c. 4.

à teneris annis Ludouicus à Blanca Matre sanctissima hauserat: imò aure altè imbiberat, cuius istæ fuerant ad aures pueri continuæ næniæ *mori potiùs, quàm fœdari*, quæ & muris Alpini natura est, & eorum, qui martyrium subiere, optimum semper factum extitit. Omitto Edmundum & Anselmum summos Cantuariensium & sanctitate celeberrimos Antistites: quorum prior dicebat, malle se in ardentissimum rogum, alter etiam in ipsa inferorum incendia conijci, quàm vt vel in vnum mortale peccatum consentirent. Omittere tamen non possum acerrimũ opportunissimũque hoc in negotio magni Thomæ Aquinatis iudicium: is ad quendam qui de modo acquirendi scientiam quæsierat, epistolam conscripsit, quâ innocentiam, peccati præcipuè horrorem commendat. Totam hic ijsdem verbis addo. *Quia quæsiuisti à me in Christo, mi charissime N. qualiter te studere oporteat, & c. tardiloquum te esse iubeo, conscientiæ puritatem amplectere: orationi vacare non desinas, nihilq; penitus de factis aliorum intromittas, nemini te multum familiarem ostendas, discursus super omnia fugias, sanctorum & bonorum vestigia imitari non desinas, & quæ legis & audis, fac, vt intelligas: altiora*

te ne

te ne quæsieris: ita frondes ac fructus in vinea domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam habebis, proferes ac produces: hæc si sectatus fueris ad id attingere poteris, quod affectas. Verùm ista viri illi sapiunt, vident, sentiunt: peccator cùm peccati leprâ infectus sit, miserrimeque cœcus, atque amens, neque sentit, neque videt, nec sapit: quo deploratissimo statu nihil fingi potest infelicius: frustra verò aurem vellices, acrius pungas, expergefacere coneris: ferreo somno ille sepultus iacet, quo sopore nullus esse queat, aut profundior, aut lethalior. S. Augustinum testor, quem in flagitiorum cœno semel altè decumbentem tam brutus sopor obligarat, vt res eum nulla excitare potuerit, donec vis maior è cælo adamantinas compedes effregisset: si diu multumque percusseris, eriget fortassis nonnihil palpebras graues, osque plumbeum resoluet in somnolentas, voces, imperfectasque, nescio quas murmurillationes, quibus sana monentem pro deridiculo habeat, & quæ de peccati dedecore, turpitudine, damnis proponuntur, exsibilet, atque pro inanibus nænijs, fabulis, anicularum terriculis illudat. Salomonis istud est: *Stultus illudet peccatum.* Quid vero isto homine

In lib. Confess.

pecude

pecude agas? igitur relabitur mox in exitiale sonum, obstinatiusq; constringitur, atque arctius suo se vinculo implicat, quanquam non iam somnus futile mortis simulacrum, sed atra, tetraq; mors dicendus est, ita sine sensu & animo peccator iste obduruit, lapiduit, denique mortuissimus est. Hoc etiam docuit Salomon, *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Tundenda tamen peccatoris mens licet ferrea; nam crebris fortassis ictibus perfringetur, emollescet saltem: Ipsis, inquam, si fieri potest oculis, peccati dedecus, infamia, turpido subijcienda; pudor fortassis aliquis suborietur, mox etiam horror: & quoniam suis commodis omnia metiri solent improbi, enumeranda damna atque naufragia, quæ peccatum in vitam nostram inuehit, & post mortem infert grauissima incommoda, vt sua acerbitate nonnihil commoueant, insanumque hominem, ad saniora consilia deducant.

§.IV.

§. IV.

Peccati grauitas & damna.

SI virtutis diuina ſpecies, quod Platonem dixiſſe accepimus, oculis corporis cerni poſſet, mirabiles ſui amores in hominum animis excitaret: ita ſi peccati turpitudo è contra ſeſe, quæ & quanta ſit in aſpectum daret; ſuſpicor ego fore omnino neminem, qui non exhorreſceret, atque refugeret; verùm ea fœditas aureo & gemmeo gypſo adhibitiſque boni cuiuſdam coloribus obducitur, mentitur, fallit. Age dum omnem iſtam laruam, fucumque detegamus: vt qualis demum ſit res ipſa, cognoſcatur.

Granitas ex inobedientia & rebellione contra Deum diuinaſque leges.

Peccatum præſertim ſi mortiferum ſit nefaria quædam eſt perduellio, qua refractarius homo ac cęlo rebellis diuinarum legum iugum excutit, & ab ipſo Deo infinito bono, bonorumque omnium inexhauſto fonte auerſus eius ſupremæ maieſtati ac poſſeſſioni, in qua ſita eſt vera felicitas, rem quampiam vilem vnius oboli, nulliuſque momenti amplectitur, honoris, inquam, fumos, opum quiſquilias, voluptatum cœnum, vaniſ-

vanissima idola vero Numini anteponit; desertis legitimi ducis signis, atque castris, idē impius transfuga ad capitalissimi tum Dei, tum hominum hostis partes, infami proditione transuolat, hunc deinceps dominum agnoscit, huius nutus obseruat, imperijsque indignissime paret; igitur peccatum immane sacrilegium est, quo anima de veri domini potestate, cui iure mancipij atque emptionis, alijsque sexcentis nominibus reuincta erat, detestabili rapina subducitur, vt impurissimo prædoni diabolo tradatur: spirituale adulterium est, quo eadem illa, quam sanctè nouit, fidem confringit & violat: vexillum est dæmonis, quo Reprobi omnes constricti tenentur, atque mortis, æternorumque ignium stipendia merent, militant, pugnāt: vinculū est, quo hominem Cacodæmones arctissimè obstrictum captumque detinent tam durâ tytannide; vt nodos soluere, aut omninò frangere vis creata nulla possit, ac ne diuina quidem effringat, nisi valido fortique conatu: reluctatur enim diu multumque ferus animus; siue quia iam seruitutem suam demens amat; siue quia Circæâ potione ebrius miserabili metamorphosi bestiam induens, humanitatem

propè

propè omnem rationemque ipsam exuit. Ex quibus rebus omnibus facile quiuis sanæ mentis intelligit peccatum, cùm ex se & sua natura nihil sit, aut tenue quidpiam, idemque ementitum bonum; reuera tamen infinitum quoddam malum esse, atque in sinu tegere malitiam infinitam, amentiam singularem, summam infirmitatem, atque iniuriam in Deum incredibilem, impugnat enim, atque si fieri posset, de medio tollere nititur bonitatem Dei immensam, sapientiam inexhaustam, potentiam iustitiamque omnimodo, ac sine eternùm carituram. Cogita hic tu mihi (vt quod est in eo, quod tractamus, indignissimum & totius nequitiæ caput, oculis obijciatur) cogita, inquam, Deum, naturam infinitæ dignitatis, tum verte animum in hominem, quem verò? lutum ex miserijs omnibus confictum, rem abiectissimam, proiectissimam, hunc in illum insurgere, imminuere velle diuinam maiestatem, leges sanctissimas pessundare, pleno ore, fronte impudentissima, palam, eius imperijs obluctari, & dicere, *non parebo, non seruiam*: demùm ad Dei hostem teterrimum confugere, & perduellem agere. Quid dici potest in Numen

men iniuriosius? præsertim cum huius tantæ perfidiæ causa fuerit nulla, nisi impurus reculæ nescio cuius amor, contempto ipso Creatore; quo? scilicet eo, qui in hominem ingratissimum tot beneficia contulit, & quidem immerentem, vt vel multitudinem, vel magnitudinem æstimare, nulla ingenij vis possit: quid si adhæc adiungamus insignem quoque illam in Christum Seruatorem contumeliam, cædem, barbariem? si dicamus peccato, quod Apostoli Pauli testimonio certissimum est, sanguinem testamenti pollutum duci, filium Dei cōculcari, contemptui haberi, iterum cruci suffigi, an non exclamare & ingemiscere lubebit? O crudelitatem atrocissimam aduersus nostræ vindicem libertatis! ô infandam diuino sanguini illatam iniuriam! ô mentem sceleratissimam, quæ tantum facinus vel cogitare, ô linguam, ô manus, ô pedes omni supplicio perdendos, qui perpetrare atque exequi audeant! Et ô benignitatem Numinis, in hominis tam improbi, ac perditi scelere tolerando, in beneficijs etiam cumulandis planè admirabilem, summisque laudibus efferendam! Deum immortalem! quænam hæc est quorundam hominum tanta

per-

peruersitas, aut quæ humanæ mentis infirmitas, aut cupiditas tam effrænis, vt tam facilè peccato, cui tantum nequitiæ inest, sponte succumbant? nimirum ista, quę à sensibus paulo remotiora reconditioraque sunt, homines isti hebetes ac stupidi minimè percipiunt.

Damna peccati.

Conijciamus igitur nunc quasi in cumulum damna & supplicia, quæ à peccato proueniunt: vt quos amor diuinus, nec in officio continet, neque abductos reuocat; incõmodorum grauissimorum, acerbissimarumque pœnarum metus refrænet atque deterreat; atque vt hæc ratio altiùs fodiat fortiusque vulneret; peccatorem vnum aliquem (ita enim ista certius ferient) alloquamur. Ergo Dei gratiâ iam excidisti, infœlicissime homuncio, diuinumque illud esse, quod in filium adoptatus cæliique hæres scriptus acceperas, perdidisti? ita nunc detractâ nobilitate, diuinâ illâ ingenuitate, Deique familiâ atque vitæ hæreditate deturbatus iuberis exulare aulâ, & solum turpiter vertere, diuinæ maiestatis desertor & hostis. Neque verò ista simplex est gratiæ, amicitiæque diuinæ iactura: quam indueras, prætextam charitatis reliquarumque eius comitum, & Christiani hominis

hominis virtutum amplissima ornamenta offensum numen summo cum dedecore abstulit: ita cum filio prodigo paternâ domo exul & vagus, regiâ dignus mensâ inter porcos iaces fame prope enectus, neque à vestibus modo & delicijs nudus & egens: sed spoliatus præterea (qui alius est funestissimus casus) ab omni illo meritorum pręmiorumque cumulo, quem aut eleemosynis, aut multis ad Deum fusis precibus, aut alijs aliarum virtutum pretijs, tibi compararas, in eam te miseriam coniecisti, vt quamdiu in eo, in quo es, statu versabere, quantumuis multa benè laudabiliterque gesseris, ad mercandam cœlestis gloriæ felicitatem, nihil vnquam valitura sint. Perge misera atque miserabilis Animula, & saltem te aspice, & quæ nunc sis, vide: quæ? diuinæ maiestatis perduellis; nam ausa es sanctissima decreta impudentissimè perfringere: quæ? tuij psius vilissimum mancipium; seruire enim fœdissimarũ & efferatarum appetitionum, quam Dei perhonorificam seruitutem vecors maluisti; illi iam te voluntarij carnifices ac tyranni torquent, dilaniant, excarnificant ijs constrictam loris ac vinculis, quæ tute tibi innexuisti: Iniquitates iam illæ tuæ

Seruitus peccati & turpitudo.

te cœperunt, & funibus peccatorum tuorum constringeris. Quasiverò hoc satis miserum non sit, tartarei quoque Cacodæmones, in quorum potestatem volens te dedisti, tyrannidem in te suam exercent, te summo aditæ possessionis iure exagitant, quo iugo non video, quid esse possit sæuius. Iterum te contuere, tuamque, ô peccans Anima, turpitudinem: *Denigrata est facies tua super carbones*, itaque stygio tenebrione facta es iam terrior: nam quæ peccati labes eum fœdissimè turpauit, eadem te nunc macula dehonestat. O si videres! ô si fœtorem saltem, profluentemque è peccati vlcere graueolentiam, pestiferamque mephitim, sentires saltem: *Computruisti enim, vt iumentum, in stercore tuo*: ô si sentires! exhorresceres fortassis: verùm æquè naribus atque oculis captus, bis homo miser, neque vides tuorum flagitiorum deformitatem, neque fœtorem percipis; an communi etiam sensu cares? obbrutuisti. Fuge, fuge, Angeli diuinæ iustitiæ administri ac vindices, diutius te Principis sui charissimam olim sponsam, Christi cruore emptam, elutam, exornatam, ad insanos vilissimarum rerum amores abiectam, in eoque cœno volutari non ferunt; sceleris

Thren. c. 4.

Iob c. 1.

leris atrocitate, odio, vindictæque facibus accensi, iam iamque gladios, quos pro officio gerunt, etiamnum tot impiorum hominum repetitâ cæde cruentatos, adhucque calentes in te distringunt, te vnum quærunt ad cędem, & ecce inuolant: Tutelaris Genius recessit à te longiusculè, & propè nudum iam ictibus latus deseruit, certè mœret, & malè metuit, quid enim? Deus ipse, qui cum vitijs immortale bellum semper indixit, intulit, gessit, in tuam perniciem arma iam sumpsit, vnum te ore, oculis, manu, deposcit: Audire, videre eum videor; micant ex irati vultu irarum, flammarumque globi, *Vbi est?* inquit, *iuxta est dies perditionis, viuo ego in æternum, si acuero, vt fulgur gladium meum, reddam vltionem, inebriabo sagittas meas sanguine.* Tonat, fulminat, exeruntur iam lacerti, in certum vulnus fugit sagitta, & ferit. *Nisi conuersus fueris arcum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Mors arcus sonitum expectat, & nutum iaculatoris; crispisulcans fulmineumq; telum iam intentat, quo minimè reris tempore per insidias necatura. Sequetur deinde iudicium: hîc horrida sunt formidabiliaque omnia, exactissimum

Deuter. 32.

Psal. 7.

tribunal, Accusatores importunissimi atque acerbissimi dæmones, ijdem lictores & carnifices, aspectu clamoribusque perterrefacientes; subscribent testes omni exceptione maiores: quanquam his nihil opus erit, ipsa pro mille aduersarijs aderit, sufficietque scelerum conscientia accusatrix & testis. Iudex verò quis? sapientissimus, acerrimus, & iam implacatus atque inexorabilis, qui vbi plagas, crucemque tui causâ illatas fortiterque perpessas exprobrarit, totiesque, quoties lethale crimen perpetrasti, inflicta quodammodo denuò vulnera, exulceratasque iterum cicatrices, conculcatum pedibus sanguinem, cæli terræque pretium obiectarit: capitalem sententiam tandem proferet horribili ista formulâ. *I, maledicte, in ignē æternum*, quod fulmen vbi contorserit, peractum est, illicò dehiscet terra, patescent inferi, dęmones pertrahent, proque momentaneâ voluptate, ęterna supplicia repetent; trutinare, expende, ardendum est quamdiu Deus erit Deus, cælum erit cælum, inferi erunt inferi: ista verò duo verba diu metire, *momentum, æternitatem*. Bene est, nonnihil ista te, miser peccator, concutiunt atque commouent: igitur dum ferrum calet, pertundamus,

damus, & partim ex ijs quæ verbo tetigimus, partim ex alijs quibusdam capitibus producamus remedia, quibus peccati tam graui malo medicinam aliquam faciamus, siue ad curationem, cum incideris; siue ad cautelam, ne vnquam tantis te periculis exponas, statim illud ex sacris literis alexipharmacum occurrit.

§. V.

Peccati remedia.

M*Emorare nouissima tua & in æternum non peccabis*; tum illud, *Deum time & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato siue bonum, siue malum illud sit.* Verùm recentem semper viuamque esse oportet istarum rerum memoriam, tumque præsertim viuere debet: cùm tentator dęmon acrius insistit, & vehementius insultat: quem in vsum si sapere velis, efformabis frequenti exercitio in mentis tabellâ, nouissimorum expressas imagines: id est, definies tibi in singulos dies tempus, quo solus tecum attentè & seriò mediteris, mortem, Iudicium, Inferos,

Eccl. 7.

Eccl. 12.

quo de argumento quædam dixi in libro Mariano, vnde huc punctula adducam exiguis ad tristitiam tetrarumq; rerum horrorem mitigandum adiectis luminibus. Occurrit prima mors in cuius frequenti meditatione quantum virium insit ad peccati fugam, docuit olim S. Augustinus, *Si diem*, inquit, *mortis suæ homines cogitare vellent, animam suam ab omni cupiditate & malitia cohiberent*, addo è mundo ipso longissimè ab omni peccandi occasione diffugerent. Ita Adolescens quidam non ita pridem, cùm Nobilis alterius iuuenis sepulchrum apertum vidisset, introque adspectasset horridis ossibus perterrefactus. *En*, ait, *quod hic fuit, ego sum, & breui ero, quod hic est:* nec plura: mox secessit in solitudinem, sibi Deoque posthac victurus: tantumque profuit; vt non virtutibus modo, sed etiam miraculis inclaresceret. Rectè monet Poëta ille:

Serm. 3. de Innoc.

Horat.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Quid ex eo boni speres? S. Basilium accipe. *Semper ante oculos tuos versetur vltimus dies: cùm enim diluculo surrexeris, ad vesperam te ambigas peruenturum, & cùm in lectulum membra tua posueris ad quiescendum,*

cendum, noli confidere de lucis aduentu: vt facilius possis te refrænare ab omnibus vitijs. At dæmon scilicet, quia istud quantum valeat, nouit, mortalium oculos configit, ne mortem cogitent; quid enim aliud est causæ; cur, (quod miratur S. Eutherius) cùm nihil ita quotidie homines vt mortem videant, nihil ita obliuiscantur, vt mortem? Quid istud quęso, quid istud est? Horreo, ais; quid horres, & refugis? siste tantisper, & osseum istud mortis cadauer fixis oculis contuere: puerilis est iste timor, insolito spectro commoueris, assuesce, etiam ridebis: in cælum minacem Rhodium olim illum Colossum peregrini, cùm primùm adspectarent, quasi ceruicibus suis iam iam impendentem atque deciduum reformidabant: ciues, qui eo ostento assueuerant etiam cum voluptate contuebantur: tanti est rebus quantumcunque horrificis assuescere. Refert Ortelius scriptor grauis nonnullis populis in more positum fuisse; vt mortuorum ossibus pro nummis vterentur, neque illis (quod forte arbitrere) auro, argento vel ære incisis imaginibus; sed reipsa mortuorum reliquijs: opinor vt emendo vendendoque, nundinando, alteri alteris

In parænet.

Apud Caussin. in symbol.

quasi istud sibi sapiens monimentum obtruderent. *Viue memor lethi.* Omitto Ægyptiorum mensas, in quibus ossea mortis simulacra circumducebantur: vt conuiuæ eo tempore quo mollis obliuio facilius obrepit, mortales se esse meminissent: & sanè tum præsertim expedit, ne cùm potu vt fit, flagitia primùm imbibantur, deinde euomantur. Insolens magis hoc admirandum Domitiani Romani Imperatoris factum, si factum, vti refert in suo Domitiano Xiphilinus. Ille Imperator primoribus Senatorum, equestrisque ordinis conuiuium in hunc modum apparasse scribitur. Instruxit ædem omni ex parte nigerrimam; intus atra laquearia, parietes pauimentum; in eaque sedes nudæ collocatæ; quibus paratis rebus, in eas de more introduci iubet absque comitibus: horridum istud, etsi nihil præterea sequeretur: quid porrò? primùm omnium iuxta vnumquemque columnam collocat factam instar sepulchri, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque lychnuchus paruus, vt assolet in monumentis; satisne? tum nudi pueri atramentoque oblitì tanquam spectra ingrediuntur, eosque horribili saltatione circumdant: ad extremum

mum, omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi solent in vasis eodem modo eis apposita fuerunt: cœna interim peragebatur, ingens silentium, vt qui timore pœnè extincti essent; Domitiano insuper sermonem de re, quæ ad mortem & funera pertinent, super mensam ingerente. Vtinam tyrannus iste in ea funestâ Lybitinę cœna, aut tragica potius humanæ vitæ scenâ sapere didicisset. Tu saltem, Academice Adolescẽs, ita Philosophare: Philosophare omnino, dicere enim Platonem solitum ferunt, Mundum Academiam quandam esse, in qua stulti de vita, sapientes de morte cogitarent, nihilque esse aliud philosophiam, quàm studiosam mortis meditationẽ. Quod si à Domitiani illo funebris epuli apparatu adhuc abhorres, neque opiparas eiusmodi mensas, aut instruere licet, aut non libet: accipe aliud probi Adolescentis bonum factũ, quod sine sumptu nulloque negotio imitabere. Hic libidinum facibus vehementer inflammatus abijt ad cœmeterium; nares faciemque lotam in putrefacti corporis cœnum immergit, tam diu in eo tabo hæret, dum præ fœtore tantùm non exanimis concideret; atque ita facile libidinem omnem abiecit. Cantiprat. l. 3. c. 3.

Quidni

Quidni tu eo exemplo exiguam soli sepulchralis particulam auferre, strophiolo includere, tecum gestare, & cùm ad flagitium pertentari te senseris, applicare ad oculos, aut etiam ad nares possis? Neque istud placet? cùm eius facultate, penes quem ea est potestas, demortui hominis cranium tolle, & collocà ad cubiculi mensam, aut lectuli spondam: at ne hoc quidem spectrum arridet. Igitur pictam saltem, aut sculptam habe penes te mortis effigiem, in eamq; obtutum sæpe fige, tum verò pręsertim tibi obijce, cùm ad peccatum concipiendum perpetrandûmve stimularis, nihil ea re expeditius; atque ita fecit Adolescens ille, de quo Pontanus noster in suis Atticis bellarijs, per cubiculi latera mortis effigiem affixerat: vt quamcunque in partem adspiceret ea sibi occurreret; ac mentem finiendæ aliquando huius vitæ memoriâ fodicaret. Inscripserat autem varijs illis imaginibus varios versus: Vni quidem *Viuens semper morere: vt mortuus semper viuas*, alteri verò: *Vt moriare, opus est mortem prauertere morte:* Tertiæ etiam cuidam mortis imagini hoc carmen adscripserat.

Semina nequitiæ languidiora facit.

Tu

Tu etiam his verbis mentem altè vulnerato, ſtatim atque videris te ad ſcelus impelli: *Egone vt conſentiam mox putridum cadauer, vermiumque vile pabulum futurus? tam ſim amens? at neſcio diem, neque horam. Forte hac die, hac hora, hoc momento moriar*. Quid tum verò? Iam tibi hic ſtatim in animum recurrat exactiſſimum illud ſupremi Iudicij tribunal: ita præcipitantem in flagitium temet refrænabis, *Si quando* (ait S. Baſilius) *ad vnum aliquod cieri aut proſilire peccatum te videris, mihi ad mentem reuoca, formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Chriſti Iudicium*. Ac deinde poſtquam iudicij iſtius formam omnem deſcripſit, hæc ſubiungit. *Hæc tu time, & eiuſmodi timore eruditus, quaſi fræno quopiam ab arce animam & inhibe ad vitioſam concupiſcentiam propendentem*. Porro quãtum ille diuini iudicij terror valeat, in Bogore Bulgarorum Principe olim intellectum: is ſupra modum venationibus delectabatur, quâ voluptate cùm cuperet frui, non tantùm cùm venatum iret, ſed etiam in otio; atque eam in rem domum nouam ędificaſſet, Methodio Monacho Româ oriundo pictori non ineleganti negotium dedit, eam vt totam hiſtorijs exornaret; diuino autem numine

In Pſalm. 33.

Cauſſin. in ſymb.

numine accidit, vt non nominaret animalia qualia depingi vellet; sed ex mero suo arbitrio ei totam sineret, modò terribilis pictura exhiberetur. Monachus secundum Christi Iudicis aduentum depingit, quod eo nihil terribilius haberet. Princeps hinc spectans piorum beatos cœtus, inde impiorum expressas effigies, extrema quæque perpetientium: edoctus ab artifice, quid sibi ista vellent, extemplo abnunciatâ superstitione suâ, religionem Catholicam est amplexatus. Si vmbra sic terruit, si muta pictura tantum habuit ad persuadendum eloquentiæ: quid ipsum corpus, quid res ipsa efficere in te deberet? hæc cogita quoties dæmon impugnaturus, & ad peccatum lacessiturus accedit. Ne ista quidem efferatam tuam peccandi licentiam, aut libidinem satis cohibent, Academice Adolescens? iam restat illud vltimum: *vt viuus descendas ad inferos*; viuus inquam, ne mortuus in istud barathrum abripiare.

Caussin. supra. Refert Athenæus glacie confectos pisces nonnullos, non sentire, nec moueri, priusquam in patinas coniecti elixentur: is est improborum quorundam stupor, nihil percipiunt antequam Inferorum flammas experiantur: ne tu, quæso,

quæso, ex eo hominum, piscium, inquam, insulso genere esse velis, sed nunc potius dum vacat, seriò, diu multumque cogita (quæ studiosè olim B. Prosper expendebat) *Quale malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissimâ sanctorum omnium societate priuari, fieri patriæ cœlestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti viuere sempiternæ, in æternum ignem cum Diabolo & Angelis eius pelli, vbi sit mors secunda, damnatis exilium, vita supplicium: non sentire in illo igne, quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles crepitus pati, barathri fumantis amarâ caligine oculos obcœcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, in æternum dilaniari vermibus, nec finiri, hæc & similia multa* (subdit idem vir sanctissimus) *cogitare nihil est aliud, quàm vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnis refrænare.* Est autem in cruciatuum istorum calamitosissima acerbitate maximè expendenda pœnarum æternitas: nam malum quoduis, & si fortasse graue, tamen tolerabile videri possit, si aliquando finem habeat; si verò æternum est, etsi aliqui leue, infinitum quoddam est malum, & longè acerbissimum: iam verò, *Tam diu durabit* (Bellarminum audi diuinum illum hominem) *tamdiu*

L. 3. de vita contemplat. c. 12.

L. 2. de arte moriendi c. 3.

tamdiu, ait, *durabit habitatio impiorum, in tormentis gehennæ, quamdiu durabit æternitas Dei, quę sicut principio caret, ita carebit & fine. Tamdiu torquebuntur damnati, quamdiu lætabuntur beati, denique reprobi tamdiu morientur, quamdiu Deus ipse viuet, & nisi desinat esse Deus, quod est, non desinent improbi esse in pœnis, in quibus sunt. O vita mortifera! ô mors immortalis? si vita es, quomodo occidis? si mors es, quomodo duras? neque igitur mors, neque vita ducenda est, quoniam vtrumq; horum boni aliquid habet; tu verò neque quietem, neque finem habes. Quid igitur te esse dicemus, nisi id totum mali, quod & vita & mors habet?* tum subdit, *hæc sola cogitatio tanquam frænum quoddam omnes hominũ libidines coërceret, & ita nostram vitam temperaret, vt non Christiani modò, sed etiam Anachoretæ sanctissimi omnes esse videremur.* Sequebatur, vt de contritionis sanctæque Confessionis frequenti vsu (quæ duo sunt potentissimę ad peccati Babylonicam aciem destruendam machinæ) nonnulla edissererem: verùm, quia commodius alibi de ijs dicendi locus suppetit; & fui, quàm cogitaram, in hoc capite longior, in præsens supersedebo.

ORA-

ORATIO.

Pro horrore peccati concipiendo.

MOnes, imò iubes Domine, vt tanquam à facie colubri peccatum fugiam, velle istud mihi adiacet, sed perficere non valeo: nisi hanc meam imbecillitatem, Deus meus, speciali tua gratia, sustentes, sentio enim aliam legem in membris meis contradicentem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: nimirum coluber ille blando cultu versicoloribusque squammis oblectat, & sibilo mendaci blanditur, tumque primùm, cùm iam animo infusum est virus, vulnus sentitur, simulque perimit. Ne vnquam lethalibus blanditijs illis allectus à diuina legis tuæ obseruatione abstrahar, confige, bone IESV, timore tuo carnes meas, vt à iudicijs tuis timeam. Ecquis verò non timeat, considerans huius vitæ breuitatem, certissimæ mortis summam incertitudinem, vltimi iudicij acerbitatem, tartarearum pœnarum æter-

æternitatem? ſed tamen donum tuum eſt ſalutaris hic timor: eo confige non tantùm carnes meas: ſed etiam cor ipſum transfige; vt concipiam & parturiam, & pariam ſpiritum ſalutis. Initium enim ſapientiæ timor Domini. Timendum igitur mihi eſt, ſi ſapere velim, ſi æternum perire nolim; heu æternum ne pereat ſeruus tuus, bone IESV, pro quo ſanguinem tuum fundere pro meis omniumque hominum peccatis crucifixus dignatus es. Amen.



SYM-

tuum
e non
or ip-
partu-
. Ini-
omini.
ere ve-
ı eter-
Iesv,
re pro
ccatis

YM-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ardens Castitatis studium. 18.
Fortior est qui se, quam qui fortissima Vincit.
M. Ban.

SYMBOLI EXPLICATIO.

Dente timendum hoc mõſtrum Luxuria eſt, cui lupatos, frænumque inijcere tam arduum eſt, vt pulcherrimum victoriæ genus haberi debeat, quia difficillimum. Inter omnia certamina Chriſtianorum, ait S. Auguſtinus, ſola dura ſunt prælia Caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria: grauem namque ſortita eſt Caſtitas inimicum: cui quotidie reſiſtitur, & ſemper timetur.

Armatus igitur ſit oportet Caſtitatis pugil, qualem Mineruam Caſtitatis præſidem poëtæ finxerunt: neque enim ſoli pugnant in Eccleſiæ Circo Martyres: ſed etiam armatæ Virgines bellant: ita (quod venerabilis Beda olim dixit) Eccleſiæ floribus nec roſæ, nec lilia deſunt; accipereque poſſunt in cælo ſinguli

coronas vel de passione purpureas, vel de virginitate candidas: quanquam & ipsum tuendæ pudicitiæ studium genus etiam est Martyrij, grauitate forte tolerabilius, sed diuturnitate molestius.

Quare vires humanæ hic minores sunt, quàm vt ijs sperari possit victoria, subsidium è cælo exquirendum: id verò fecit Sapiens: *Vt sciui*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset hoc donum: adij dominum & deprecatus sum illum*. Idem age, Academice Adolescens, aliorum quoque castissimorum Athletarum exemplo. Et ecce non modò spectatores Angeli Laureas, coronas, palmas prætendunt, sed adest ipse è cælo pugnanti Deus, vires domando hosti pares submittit, & victoriam spondet; generosè pugna.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Ardens Castitatis studium.

MONITVM.

Corporis insolentiam reprimito, Castitatem colito, eidem tuendæ, & retinendæ studeto.

SALOMON.

EX studijs suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius. Prouerb. 20.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. Prou. 22.

Purus sermo pulcherrimus, firmabitur à Domino. Prou. 15.

Quæ nesciuit thorum in delicto, ha-

bebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ. Sap. 3.

O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines: cùm præsens est, imitantur illam: & desiderant eam, cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Sap. 4.

MEN-

MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Adolescentis pudicitia facit spem rerum magnarum.

QVod in plantis accidit, & herbis quibusdam: vt ex earum, dum adhuc teneriores sunt, quadam quasi externâ specie aut viriditatis aut floris, aut rei cuiuspiam alterius, liceat peritis diuinare de eo, quod postea secuturum sit; atque ipsi pręsertim Agricolæ plerumque è prima fuge coniectant, quàm opimam messem sint habituri: ita in hominum moribus euenit plerumque: vt antequam ad res magnas, vt ita dicam, decocti maturitatem suam assequantur, præferant ex primæuâ indole, quam sint Reip. ac Religioni frugem allaturi: quod & communis vsus docet, & è communi hominum sensu Salomonis Prouerbium. *Ex studijs suis*, ait,

intelligitur puer; Atque adeò etiam Adolescens, vt 70. senes sunt interpretati: nam in istius ętatis mores si quis vel leuissimè animaduertere voluerit, mox intelliget, quid illi & quantum in reliquam vitam polliceantur. Etsi verò neque pauca, neque obscura sint eiusmodi indicia, ex quibus de secuturo fructu præsagire liceat: duæ tamen hæ res, facilitas & pudicitia, esse solent maxima, clarissimaque signa optimę tum indolis, tum spei. *Si munda & recta sint opera eius.* Primùm si mores habeat rectos, id est faciles, non obliquos, non asperos: deinde si mundos, id est, vt ex voce Hebræâ est clarius, nitidos ab eâ luce, qualem in puro auro videmus, cui neque impurioris metalli, neque aliarum sordium scoriæ vllæ adhęrescant. In aliquem eo nitore purum Adolescentem si aliquando incideris, latere puta intus auream indolem, spemque crede istic ali, nisi quid interciderit, rerum præclarissimarum. Metallicarum venarum indagatores præscribunt montem, qui auri argentiúe diuitias suis visceribus includit, sterilem esse, neque vllam, ne herbarum quidem luxuriem è solo suo profundere: ita docet Sapiens, (vt de asperitate ingeniorum nihil hîc dicam)

exterio-

exteriorem munditiem morum, quam pudicitiam appellare possumus, indicio esse latentis optimæ mentis, opumque futurarum in Reipub. bonum. Sicut è contrà nullum est vitę posterioris improbæ omen certius, quàm si in prima ætate mores impudentes extiterint, atque impudici: impudicitia enim & libido omnes virtutum igniculos suffocat, vitiosisque ignibus bonarum rerum initia excoquit, vt propterea meritò inde nihil bonæ sementis, bonæve frugis exspectes.

Iam verò mundi illi Adolescentes, quales Academicos optamus, ignoti aut obscuri esse nemini possunt: studium enim statim produnt suum, tum vultu, tum ore, tum corporis habitu vniuerso: verecundiâ, inquam, atque ingenuo pudore: qui pudor, licet (vt est quædam exterior corporis affectio ex quadam appetitus sensitiui passione proueniens, quod Philosophis Theologisque placuit) pro virtute minimè habendus sit: eo tamen nomine plurimam laudem meretur, quòd casti animi indicium sit; imò animo ipsi (quod S. Bernard. dixit) vt faciei pulcher color, venustatem ingerat, augeatque mirificè eius gratiam. Ser. 40. in Cant.

Est (ait S. Ambrosius) *verecundia pudicitia* Lib. 1. de offic. c. 18.

citiæ comes, cuius societate Castitas ipsa tutior est: bonus enim regendæ Castitatis pudor est comes; qui sese prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Addit præterea verecundiam omnibus quidem ætatibus, personis, vti temporibus ac locis aptam: sed Adolescentum maximè, Iuuenumque animos decere. Nullus pudoris orator Bernardo aut mellitior, aut facundior adferri potest, ita ille eloquitur. *Quid amabilius verecundo Adolescente, quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma in vita & vultu Adolescentis! quàm vera, & quàm minimè dubia bonæ nuncia spei, bonæ indolis index! virga disciplinę est illi, qui pudendis aspectibus imminens lubricæ ætatis motus, actusq; leues coërceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquij & omnis deinceps turpitudinis fugitans? soror continentiæ est. Nullum ęquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis: & ideò etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis ingiter lucens: vt nihil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illicò prodat. Ita expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatę, specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte*

Ser. 86. in Cant.

inue-

inuexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet? vsque adeo genuinum animi bonum verecundia est, vt & qui malè agere non verentur, videri tamen verecundentur. Neque his absimilia Ethnici tradiderunt: qui eam Adolescentiæ propriam esse virtutem, & veluti Regiam istius ætatis purpuram censuere. *Non ad quamuis* (ait Philosophus) *ætatem affectus verecundiæ; sed ad iuuenilem accommodatur. Censemus enim eos, qui huius ætatis sunt, verecundos esse oportere: vt cùm non sine perturbatione viuant, multumq; ob hoc peccent, à verecundia prohibeantur.* Et Seneca, *Locutus est mecum amicus tuus bonæ indolis: vbi se collegit, verecundiam (bonum in Adolescente signum) vix potuit excutere, adeo illi ex alto suffusus est rubor.* Et mox. *Magis ille in Iuuenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons.* Idemque monet nutriendum esse Adolescentis pudorem, quia, *quamdiu* (ait) *in animo eius durauerit, aliquis erit bonæ spei locus.* Ita Diogenes cùm vidisset aliquando Adolescentem inhonesto dicto erubescentem, *Confide* (dixit) *fili, hicce virtutis color est.* Quid Romanus Orator? sine verecundia nihil rectum, nihilve honestum esse posse; denique eam virtutem omnium reliquarum custodem

4. Eth. 15.

Epist. 11. ad Luc.

Epist. 25.

Apud Laërt. in vit.

Lib. 1. de offic.

In partit.

ſtodem eſſe, dedecus fugientem, & laudem maximam conſequentem.

Verùm iſtud hîc erit obſeruandum, non in ſolo frontis rubore, genarumve igneo quodam colore omnem verecundiæ laudem contineri: nam etiam in capitis, ac ſupercilij demiſſione, in modeſtia oculorum, in oris cuſtodia, in toto reliqui corporis geſtu, atque habitu, atque adeò in ipſa quoque veſtiendi, incedendiqúe ratione pudor, verecundiaqúe cernitur. Iam verò erga ſuperiores quidem, inferiores, pares ſemper pudens ac verecundus ſit Adoleſcés oportet, ac nunquam & nuſquam, magis, quàm erga fœminas, imò erga ſeipſum; idque etiam ipſi Ethnici non obſcurè, noſtri autem ſcriptores diuinè præſcribunt. Pythagoras ita præcipiebat. Facies autem turpe vnquam nihil, neque cum alio, neque ſolus: omnium maximè verecũdare teipſum. Idem monebant Democritus, Muſonius, Theophraſtus. Democriti hæc fuit digna cedro gnome. *Malum, etiamſi ſolus fueris, neque dixeris, neque feceris. Diſce autem teipſum multò magis, quàm alios vereri.* Muſonius ita monebat. *Verecundiâ apud omnes dignus habeberis, ſi primum teipſum vereri incœperis.* Denique Theophraſtus.

Apud Stobæ.

ſtus. *Reuerere* (inquit) *teipſum, & non erubeſces coram alijs.* Noſtri nunc ſuper eadem re audiantur Tertullianus & Li. de Rel. Virg.
Baſilius ambo magni. *Vera, & tota, & puta virginitas* (ait ille) *nihil magis timet, quàm ſemetipſam.* Baſil. verò præſtantius, *Virgo* (inquit) *ſola quoque nullo prorſus* Lib. de Virgin.
hominum teſte, nihil quod ſponſo ſuo indignum ſit, agere vllâ ratione patietur: etſi enim adſit nemo, ipſa tamen ſibi virgo adeſt, debetq; præ omnibus ſeipſam reuereri, ſuamq; conſcientiam.

Hæc ſcilicet legerant, aut diuinitus didicerant ex optimorum grege Adoleſcentes illi, quos accepimus pro more habuiſſe, vt cum ſe veſperi exuerent, aut induerent mane, talari veſte ſibi ſeipſos ſuffurarentur: ne qua pars nuda oculos vulneraret: quam exactam tuendæ Ca- Rufin. l. 2. c. 30.
ſtimoniæ curam Deus ipſe olim viſus Pallad. l. 8. c. 8.
eſt, in Ammone viro ſanctiſſimo, quodam prodigio approbaſſe: cùm enim is flumen eſſet tranſmiſſurus, & veſtem ponere vehementiſſime [illegible]reretur, quòd ſe nudum vidiſſet nu[illegible]quam, precatus dicitur, ſibi vt veſtito tranſuadare concederetur: moxque commendatus eſt inſigni portento virgineus ille pudor: nam Angelus hominem Angelicè pudicum in vlteriorem fluminis ripam, vt

erat

erat indutus, tutò transuexit.

§. II.

Castitas iuuat ad sapientiam comparandam.

POrro Castitatem plurimùm facere ad philosophiam comparandam, ex ijs, quæ suprà de vitio contrario diximus, facile colligi potest, idque disertè asserit S. August. *Gloriosum* (ait) *& insignem inter cæteras virtutes Castitas & Munditia locum tenet, quia ipsa sola est, quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum*. Tum in eodem pergens argumento. *Castitas cum humilitate Spiritus sancti meretur habitationem, quam expellit immunditia libidinum, dicente scripturâ corpus peccatis subditum Spiritus sanctus effugiet*. Demùm ita concludit, *Assuescat Iuuenis ad Castitatem: vt sit dignus sapientiâ*. Resque ipsa, vt cæteri taceant, loquitur. Castitatis enim proprium est vim imaginatricem, internosque sensus impudicitiarum stabula expurgare, mentem animæ oculum illustrare, appetitionum tumultuarios motus reprimere, efficere vitales spiritus limpidos, cerebrum attemperare, ac denique ex homine

Serm. 249. de Temp.

mine efformare Angelum, id est, ad philosophandum acutum & acrem. Certè videmus vnumquemque vt alios Castitate anteuertit, ita ferè semper scientiâ præstitisse: in prophetarum choro Isaias & Daniel excellunt: vterque virginitatem coluit. Inter patriarchas Ioseph in diuinando habitus est diuinissimus: at tum maximè vaticiniorum laude claruit, cùm innuptus vixit, post nuptias conticuisse dicitur. Inter Euangelistas Ioannes Aquila, inter Apostolos Paulus Lynceos oculos habuit: inter Doctores Thomas de Aquino Angelus extitit: ijdem Virgines perstitêre. Denique, quod aliàs à me est quoque notatum, Antonius in Syluis, in cellula Bernardus, in Oratorio Brigitta alijque vtriusque sexus plurimi ad summum scientiarum apicem pertigêre non alia studiorum Magistrâ ac Præside, quàm Castimoniâ: atque de Sybillis ipsis scripsit ipse Hieronymus Virginitatis seruatæ præmium eis diuinitus datam diuinationem. L. 1. cont. Iouinian.

Verùm nihil ad hanc rem probandam plus habet momenti, quàm id, quod S. Greg. Nazianzeno olim accidisse legimus.

Is enim Adolescens incredibili scien-

di

di cupiditate incensus cùm de rectâ ad sapientiam viâ, secum diu multumque cogitaret: duæ ei Virgines humanâ specie maiores spectandas se per quietē dedere: posteaquā præsentiâ suâ eum mirificè recreassent, & ecce, inquiunt, huc è cælo venimus à Deo missæ, vt tecum hospitemur: quia mundum tu nobis domicilium in animo parasti gratissimam nobis Cœlitibus Virginibus sedem. Altera è nobis sapientia, altera Castitas nominamur: ita perge porro non minorem morum puritati, quàm literarum studio operam locare. Quæ cùm dicere cessassent geminæ sorores, totam simul Nazianzeni mētē subiere, simul ex oculis euanuere. Cum ergo res ita sit, quod pridem te, mi Academice Adolescens moneo, castus sis, si sapiens esse volueris: Sororiantur scilicet duæ illæ virtutes, amantque & deposcunt eiusdem Hospitij societatem.

Iam ad Castitatis commendationem audiendam, quo eius consequendæ maiori studio teneamur, aures propius Salomoni commodemus.

§. III.

§. III.

Deus castos amat.

QVi *diligit cordis munditiem propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem*. Magni id homines ducunt, principum gratiam ac fauorem sibi conciliasse; cùm enim amicus, vt dicî solet, sit alter Ego, ad regiam dignitatem conscendisse ij sibi videntur, qui Regum amicitiam, promeruerint. Sed tamen, quia & regna instabilia sunt, & dubiæ magnatũ voluntates, & ita incertissimæ sunt amicitiæ: is gloriari iure pœnè solus poterit, qui diuinam sibi gratiam, Regumque Regis amicitiam fuerit consecutus. Atqui Salomonis ille locus, si 70. interpretibus credimus, quos spiritu diuino afflatos fuisse constat, mundis corde, castisque istud tantum aut beneficij, aut laudis tribuit: ita enim 70. illi reddidere. Diligit Deus sancta corda, & accepti sunt ei omnes immaculati. Et Chaldęus interpres eodem spectans breuissimâ clarissimâque parœmiâ, Diligit Deus mundos corde; neque Hebręus textus longè abludit: quæ enim istic vox munditiem signifi-

cat, à metallis desumpta est puris atque planè excoctis, quæ res ita vni castitati conuenit, vt castitas non sit, si quæ libidinum fæces aut maculæ animo adhæserint. Atque ita Salomonem hoc loco grauissimi scriptores accepere, Beda, Hugo, Diogenes: quos inter ipse Theologorum phœnix S. Thomas: ex quorum mente sententiam sic exponit Salazar noster. *Qui corde, animoq; purus est, ob pudicitiæ meritum id assequetur, vt cum Deo colloqui, & ipsius familiaritate vti possit.* Mox id ad S. Ioannem Euangelistam castitatis coryphęum transferens, censet eum, quod S. quoque Hieronymo, pridem visum fuerat, ob eximiæ pudicitiæ meritum obtinuisse: vt se intimiùs, quàm cæteri Apostoli, in Christi Domini amicitiam insinuarit. Certe ei vnum Ioannem & amores & delitias fuisse omnes scimus. Age verò quid ad castitatis laudem præstantius adferre potuit Sapiens, quàm vt pronunciaret Deum Opt. Max. in cuius femore scriptum est Rex Regum, Dominus Dominantium, tam vnicè, tamq; tenerè hominibus castis affici; vt eorum etiam collocutionem, amicitiam, familiaritatem desideret, atque (si fas est dicere) exambiat? nam eodem istud quoque

In 22. Prou.

quoque Salomonis pertinet.

Sermo pulcherrimus firmabitur à Domino. Dixerat paulò ante nihil æquè Deum auersari atque odisse, quàm cogitationum obscœnitatem, subdit igitur è contra nihil ita ei probari atque arridere, quàm sermonem pudicum ac castum, qui scilicet è mundo corde tanquam ex sincero limpidoque fonte pulcherrimus, vtpote purus, illimisque emanet. Eum Deus ipse asserit profiteturque vt pulcherrimum, ita gratissimum esse, neque se minus eo homine casto oblectari, quàm homines soleant puro auri conspectu affici, cuius splendor intuentium oculos animosque, mirificè recreare solet. Hanc vim esse Salomonicæ istius sententiæ euidens est Hebraicam & Græcam vocem expendenti; prior enim, quod etiam superius obseruabamus, à metallis hîc etiam desumpta, sermonem significat ab omni scoriâ ac fæce immunem. Græcum verò ἁγνος, quæ vox apud 70. hoc loco legitur, agninum sermonem loquitur, id est, nitidum ac castum, & qualis Agnetis, & Agnetianarum mentium semper extitit, & num etiam esse debet.

Sanè si quis animum aduertat in id, quod communi sermone circumfertur,

morum ac humorum ſimilitudine amorem præcipuè conciliari, neque eos conſentire, aut animis ac voluntate cohærere poſſe, quos ab inuicem mores humoreſque diſiunxerint: is facilè aſſequetur, vti Deo, qui idem caſtiſſimus, caſtimonięque omnis ſtudioſiſſimus eſt, impudici homines nauſeæ ſunt, atque odio: ita caſtos in amoribus eſſe, imò in delicijs.

Rurſum, ſi quis mentis oculos conijciat in caſtitatis pulchritudinem atque præſtantiam, libidinum verò fœditatem atque infamiam, nullo negotio intelliget nihil eſſe mirum, ſi Deus ac ſuperi eos exoſos habeant, qui tantâ turpitudine mores, linguam, mentem dehoneſtarint; eos verò gratiſſimos atque gratioſiſſimos ijſdem cœlitibus Deoque ipſi eſſe oportere, qui caſtimoniæ decus animo impreſſerint, ore profiteantur caſtiſſimis facinoribus exprimant. Quæ ratiocinationes, ſi necdum id conficiunt, quod volo; caſtos homines à Deo diligi, imò verò vnicè amari, quod ad id probandum efficaciſſimum eſt, conſideremus, queſo, obiter, quàm horrenda impuris hominibus ſupplicia tum hîc tum poſteà reſeruata ſint: tum ſingularia atque eximia à Deo caſtis non

modò

modò in his castris, vbi casti adhuc militant, sed in cælo potissimùm, quæ castorum triumphantium patria est, præmia, opes, honores, oblectationes esse decreta eâ tum multitudine, tum magnitudine: vt coronæ istius amplitudinem (Aureolam Theologi appellant, lauream auream dicere possemus) pro dignitate explicare nemo possit. In re difficili assequendâ præeuntem cum face in manu Salomonem, si placet, pedetentim insequamur.

Quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Refutat Sapiens cum insigni castitatis laude, insanientium quorumdam hominum stultam opinionem, qui miserrimè agi existimant cum ijs, qui à se corporis voluptates brutas illas, atque per se satis fædas, procul castioris vitæ studio abdicarint.

Non est, inquit diuinissimus Salomon, non est vilis, aut etiam (vt nonnulli amentissimo errore existimant & loquuntur) misera atque infœlix hominum conditio, qui ab omni impudicitię genere animum corpusque auocarint. Nam etsi istius virtutis splendor debiliores animos ita obcæcat: vt eum, per se licet eximium, minimè contueri possint:

ſint: erit tamen tempus aliquando, cùm Deo ipſo demonſtrante inſpicietur; tum ſcilicet cùm ad ipſius tribunal qui caſtè qui inceſtè vixerint, quæ iſtorum erunt prçmia, quæ horum ſupplicia iudice ac vindice numine diſquiretur, atque tum demum mundus ſpectabit vniuerſus, quàm non fuerit caſtitas infæcunda, quç tantam, quanta iſtic erit, caſtis animis mercedem fructumque pepererit. Eo tempore hominibus, Angeliſque ſpectantibus.

Spadoni, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſus Deum nequiſſima, qui, inquam, etſi vacare ſuæ cupiditati poterat, ita tamen caſtitatis retinendæ ſtudio vitam inſtituit, ac ſi ad voluptates ne quidem natus eſſet; qui non modò manus ab omni fœditate abſtinuit, ſed mentem quoque quæ Deum latere non poteſt, pudicã habuit: *dabitur* illi ſcilicet à Deo cõgratior eſſe voluerat, datæ atque ſeruatç caſtitatis *donũ electũ* lemniſcata aliqua corona, munus palmare, *ſors*, ſcilicet, *in templo Dei acceptiſſima*, palma & corona ſingularis, quam ob inſignem de carne Triumphatâ victoriam egregius pugil reportabit. Etſi laborioſum ſit nunc caſtorum cum infectiſſimis luxuriæ caſtris armiſq;

armiſque certamen, iuuerit tamen meminiſſe aliquando glorioſiſſimæ pugnæ.

Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ. Omnino ſapientiæ iſtud fuit, & quidem profundiſſimæ, proſpexiſſe in futurum, mortaliſque vitæ vanas atque euanidas voluptates vel contempſiſſe, vel etiam vltrò abiecisse ſpe iucundiſſimæ immortalitatis.

Hæc, quæ profectò & veriſſima ſunt, & ad laudem caſtitatis ampliſſima, cùm deprædicaſſet caſtior tum, quàm poſtea, Salomon, continere ſe diutius non potuit, quin maximâ vocis animique contentione, admirationis amoriſque, quo tum quidem inarſerat, pleniſſimus exclamaret.

O quàm pulchra eſt caſta generatio, caſtorum, inquam hominum natio *cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines: cum præſens eſt mirantur illam, & deſiderant eam, cùm ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorũ certaminum præmium vincens.* Placet, ſi vnquam placuit, Salomonicæ huius ſententiæ nunc agere interpretem, ve-

rùm & clarum, & breuem: ſatis enim
Cap. 14. eſt hunc locum intelligi: vt quæ S. Ioannes in Apocalypſi de caſtitatis aureolâ quaſi præſens ſpectauit, tanto ante præuidiſſe Salomonem, atque prædixiſſe cognoſcatur. Quis ſatis, inquit Sapiens, caſtæ vitæ pulchritudinem, atque claritudinem deprædicet? digniſſima ſanè illa eſt, quam omnes ament. Nam illorum ſatis mirari non poſſum amentiam, qui eos exiſtimant inglorios atque inhonoros vixiſſe, neque vllam deinde conſecutos eſſe poſt vitam immortalitatem, qui caſtè viuendo nullam poſt ſe reliquerunt ſobolem quaſi ſui ſuorumque facinorum viuam effigiem, quam ad poſteros tranſmitterent: quaſi verò, iſti, qui liberis procreandis minimè vacare voluerint, pudiceque vitam exegerint ſuam, ſine nomine, & famâ toti demoriantur, ac planè pereant. Atqui omninò contrarium eueniet: tales enim immortalem ſui memoriam tranſcribent ad poſteros, neque apud Deum ſuperoſque dumtaxat inclareſcent, ſed toto etiam orbe erunt notiſſimi atque laudatiſſimi; ſiquidem tantam virtutem nulla vnquam aut ætas, aut tempus conticeſcet: cuius virtutis ea eſt propè præ cæteris diuinitas: vt qui

illam

illam pręsentem vspiam in terris aspexerint, demirentur: cùm verò ij, qui coluerunt, seruaruntque viui, mortui in cælum, vnde castitas nata est, immundam humum exosi euolarint; omnes votis eos, precibusque repetant, reuidendæque virtutis istius desiderio quodam incredibili teneantur. Et frustra. Rapuit illos ex oculis vnà in cælum reuolans castitas, extulitque ex hoc sudore, puluere, arenâ, in amicum, patriumque solum, in quo inter palmas & lauros hostibus omnibus superior, coronata triumphat præmio potiens & maiori & digniori, quàm eorum olim erat, qui in certaminibus Olympicis vicerant: nam cum hi coronam marcessibilem corruptibilemque retulerint, illa cum suis cælo recepta palmam habet laurumque nullo vnquam fulmine, aut tempore intermorituram.

Hactenus Salomon, quæ efferri, & exaggerari hîc à me possent fusissimè: nisi in lilio Mariano id aliàs cùm de castitatis dignitate scriberem, abundè perfecissem: quare ne actum agam, non ero in hoc capite prolixior. Nequeo tamen prætermittere quin partim ex eo libello, partim ex hîc superiusque explicatis, continuâ Antithesi breuiter

inter

inter ſe hinc caſtitatem, inde inimicum ei vitium committam: vt contraria hæc, quod maximi eſſe momenti arbitror, iuxta ſe preſſim poſita, magis, vt fit, eluceſcant; quo fiet, vt Academicus meus Adoleſcens clarè perſpectam virtutem amet, in eiuſque ſe partes conferat; vitium verò oppoſitum deteſtetur, atque fugiat.

ANTI-

ANTITHESIS

CASTITATIS ET LVXVRIÆ

EX SCRIPTVRA ET SS. PATRIBVS.

Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: si secundum carnem vixeritis moriemini. Rom. 8.

O pulcherrima, Cœlestis, Angelica, plusquam Angelica, diuina Castitas!

O turpissima, Tartarea, Diabolica, plusquam Diabolica, Deo exosa luxuria!

O Pulcherrima Castitas! quis enim cum Salomone non exclamet? O quàm pulchra est castorum generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum

nota

nota eſt, & apud homines; inceſti ipſi ad caſtitatis lucem ſtupent. *Pudicitia*, ait S. Cyprian. *nos commendat Deo, connectit Chriſto, Beata ipſa, & Beatos efficiens, apud quoſcumque habitare dignatur: quam nunquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent; venerabilis eſt enim hoſtibus ſuis, dum illam multò magis mirantur, qui expugnare non poſſunt.*

Lib. de pudic.

At tu turpiſſima Luxuria!

Neque enim humanum: ſed planè belluinum es vitium: tu hominem veluti circęo dementatum poculo in fædam ſuem porcumque conuertis. Quis igitur ſapiens non meritò occlamet? O quàm turpis eſt inceſtorum hominum natio, quàm obſcura, & vilis: quoniam execrabilis eſt eius memoria & apud Deum, & apud homines. *Impudicitia*, ait S. Cyprianus, *ſemper eſt deteſtanda, obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corporibus parcens, nec animis: debellatis enim proprijs motibus totum hominem ſuum, ſub triumphum libidinis mittit.*

Lib. de pudic.

O Cœ-

O Cœlestis Castitas!

Nam vbi est nisi in Cælo patria castitatis? hîc aduena, ibi innata, eodemque hinc aufugiens veluti ad natiuum solum reuolat: aut certè si hîc hospitatur, è terra cælum facit. *Sola enim est castitas* (ait S. Bern.) *quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat*, & S. Hieronym. *In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis.*

In epist. 42.

In epistolis.

At tu, ô Tartarea Luxuria!

Tu namq; immundorum spirituum, aut parens aut soboles, ex ipsis Tartari faucibus egressa omnem libidinum Camarinam huc euomuisti, sordesque illas, in quibus Tartarei homines, quos propè Diabolos effecisti, computrescunt, vt iumenta in stercore suo, quę Prophetæ Ioëlis similitudo est, atque S. Gregorio interprete, in fœtore luxuriæ vitam finiunt, post mortem scilicet, nisi resipuerint in Tartareas cloacas abijciendi.

Cap. 1. 24. Mor. c. 8.

O An-

O Angelica Castitas!

Quid (enim) Castitate decorius, quà Angelum de homine facit? differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed fœlicitate, non virtute. Bernardum Lacteum Virginis Alumnum audis. S. verò Cyprianus castitatem non dubitat Angelicæ qualitatis statum appellare: an ideò semper cum Virginibus tam familiares Angeli? breuissimè S. Ambrosius. *Castitas Angelos facit, qui eam seruat Angelus est.* An non igitur Castitas Angelica?

Epist. 42. ad Henric. sen.

L. de Virg. Cler.

Lib. 1. de Virg.

At tu ô Diabolica Luxuria!

Quippe, qui Luxuriæ præest Asmodęus Diabolus est: amant Cacodęmones libidinem, eoque in cœno cupidissime volutantur. Hinc Magos, Sagas, aliaque Diabolicarum fœditatum horrenda seruitia ad nefandas turpitudines concitant, & cogunt. Meritò S. Ambrosius, Castitas Angelos facit, *Qui eam seruat Angelus est*, mox subdit, *qui perdidit, Diabolus est.*

Lib. 1. de Virg.

O plus-

O plusquam Angelica Castitas!

Angelicæ enim mentes, cum corporibus careant, castitatem (cuius laus in reprimendis corporeis voluptatibus cernitur) propriè non habent: *Supergreditur Virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Maior tamen est Victoria Virginum, quàm Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt, Virgines verò in carne triumphant.*

At tu, ô plusquam Diabolica Luxuria!

Namque etsi Dæmones humanas libidines prouocent, ijsque vehementer oblectentur, in se tamen non excitant, imò cùm alios ad eas excitarint, abhorrent ipsi præsens flagitium, atque interim refugiunt. Scribit enim Lansper- In serm. Dom. 24. post Trin.
gius Diabolum postquam hominem ad peccatum infame pertraxerit, propter horrorem ipsi naturalem tantæ turpitudinis tantisper loco cedere, donec

scelus

ſcelus fuerit perpetratum. Quid iam reſtat, niſi vt ſummum iſtud exclamem,

O verè diuina Caſtitas!

Propè Deam dixi, ita ad Deum ipſum accedis. *Incorruptio certè facit proximum Deo*, ait Sapiens. Et S. Baſil. *Magnum quoddam, ac præclarum Virginitas eſt, quæ (vt totum ſimul explicem) hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit.* Rectè S. Grego. Nazianz. cecinit, *Sancta Trias Virgo eſt.* Et in Pſal. 2. pro *Apprehendite diſciplinam* in Hebræo legitur *Adorate Virginitatem*, an Numen eſt Virginitas? diuinum certè quidpiam, quod Deus in cælo diuinioribus præmijs beat.

Sap. c. 6.
Li. de vera Virg.
Apoc. 14.

At tu caue exoſiſſima Deo Luxuria!

Namque cætera ferè flagitia cælum tolerat, luxuriam ferre non poteſt: ita Deo ſtomachum iramque commouet. Quare nihil æquè grauibus ſupplicijs vindicat. Cataractis Cæli apertis generali cataclismo mundum propè vniuerſum

uersum obruit. Disiectæ posteà etiam è cælo vltrices flammæ Sodomam, Gomorrham, aliasque æquè à libidine detestandas vrbes inuoluerunt. Dauid propter Adulterium quot cladibus affectus? mitto cætera. Denique S. Paulo præcone ac teste, *Molles regnum Dei non possidebunt.* Satisne? tum verò *Pars eorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* Apocalypsim S. Ioannis testor. I, & peri miser, imò redi, & vitam corrige.

1. Corint. 6.

Apoc. 11.

O castos! ô pudicos!

Sinite enim vt vos hîc verbulo alloquar,

O millies beatos!

Si modò beatitatem vestram nostis, si quo par est in pretio habetis, si quo par est studio seruabitis hunc castitatis florem integrum, hanc illibatam gemmam, incorruptam coronam, balsamum purum, intactum Thesaurum, hoc denique certissimum æternæ felicitatis pignus. *Florete flores, sicut lilium, & date odorem.*

Eccles. 39.

At vos, ô incestos! ô impudicos! ô vos, quantum satis dici nequit miseros, & infelices!

O si! si miseriam atque infelicitatem vestram videretis, si quo par est momento æstimaretis! Opes, honores, famam, valetudinem, vitam corporis & animæ Diabolo venditis pro momentaneâ voluptate. Pro momentaneâ voluptate æternum Deo priuari, æternùm ardere! metimini momentum, Æternitatem *Momentaneum delectat, Æternum cruciat.*

Octo castitatis præsidia.

1. Singularis cultus B. V. 2. Amor ardens castitatis. 3. Ingens Luxuriæ horror. 4. Occasionum fuga. 5. Mortificatio corporis. 6. Sacramentorum frequens vsus. 7. Memoria Dei præsentis. Christi crucifixi, Angeli custodis. 8. Recordatio nouissimorum.

Octo

Octo castitatis hostes.

1. Otium. 2. Oculi. 3. Libri Turpes. 4. Comœdiæ & imagines obscœnæ. 5. Turpiloquium. 6. Gula, & reliquus corporis luxus. 7. Socij improbi. 8. Fœminarum familiaritas.

LAVS CASTITATIS

AD PARTHENICVM IVVENEM.

Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem &c. Apoc. 14.

ODE.

AN dormientem ſomnia faſcinant,
Vmbriſque complent pectus inanibus?
Vigilne, vel ſopitus axes
Ætheris intueor reuulſos?
Vatem quis ardor numinis entheat?
Valuæ recedunt quadrifores poli, &
Arcana Diuorum pateſcunt,
Eſte procul, procul hinc profani:
Hæc ſacra puris Virginibus paro.
Vides, vt altis nubibus altior
Immanè mons ſurgit, minaxque
Igniuomis caput abdit aſtris?
Non ille canâ ſtat niue candidus,
Nec ſtrictus horret Sarmatico gelu,
Hic nullus atrox pręliatur
Africus, aut pluuialis Auſter:
Sed ęuiternæ ſuauè rubent rosæ,

Viuaxq;

Viuaxque odorum perpetuat nemus:
Cui non hybla, aut florens hymettus,
Non Arabum pia thura certent.
Has Agnus ædes ſcilicet incolit,
Agnus recenti candidior niue,
Quem turba circum multa plaudens,
Magnificos celebrat triumphos.
Inuſitatæ frondibus implicant
Comas coronæ, ſcriptaque nomina
Agni, patriſq; frontem honeſtam
Multicolore notant lapillo.
Mox omnis Agnum pone ſubit cohors,
Quo dux pudicum cumq; tulit pedem,
Seu per reductas ire valles,
Seu per agros iuuat, atque lucos,
Vbi hoſpitalem conſociant comis
Vmbram peregrinæ indolis arbores,
Argenteoque collaborat
Lympha fugax trepidare riuo.
Quis ille mentem rurſum agitat calor!
Audire feſtum iam videor melos,
Teſtudinemque, barbitonque,
Atque tubę, lituique cantus.
At prętер Agni militiæ ſacram
Phalanga, doctas tangere vel fides,
Vel ſacra plectra, nemo diuum
Dicere nobile carmen auſit;
Quamuis laboret ambitioſior.

Quis ista vinclis plexa adamantinis
Enodet, explicetve? non si
Nuncius adfuerit Deorum.
Erro, an stupenti se genius mihi
Alatus offert? vera vides, ait,
Audisque, quod miraris agmen,
Tot teneri pueri, & puellæ,
Vixere, Christo quos Comites dare
Sponsosque, castus promeruit pudor.
Hæc nempe laurus castitatem
Sanctior hicq; manet triumphus.
Non illa pubes Cælicolum bibit
Vulgare nectar, deliciæ iuuant
Sinceriores, grandiusque
Hostibus edomitis trophęum.
Quo tendis audax prodere Cęlitum
Arcana Clio? desine rem metro
Dignam cothurnato eleuare,
Sacra modis tenuans prophanis.

AD

AD EVNDEM

LVDVS ANACREONTICVS.

MARIA lac propinat
Purum, purum, ſuaue,
Liquidumque melleumque,
Quod reris eſſe nectar
Epulas ſacras Deorum.
Veni, veni, puelle
Maria lac propinat.
At heus, Maria virgo eſt,
De Virginis papilla
Age, bibe lac pudicum,
Sed vber iſtud vber
Caſto premas labello.
Caſtum niſi huc labellum,
Corque adferas pudicum,
Abi procul, puelle.
Quid, impudens catelle,
Labrum adferes lutoſum
Porciique, apriique dentem?
Ah ſiſte, ſiſte, ſiſte.
Nam Ieſulus Mariæ
Matris ſinu implicatus

Magnus puer tonabit
Castæ parentis vltor.
Quòd si tonet, peribis
Ab ense crispisulco:
Abi procul puelle.
Passercule impudice,
Venerisque pupa fœdæ,
Cupidinisque frater,
Tu Virginis pudicæ
Vis mordicare mammas
Vis sordidare mammas?
Deus puer tonabit,
Abi procul, puelle.
Veni, veni, puelle:
Puer iste non tonabit,
Sed mille, mille, mille
Dabit osculationes,
Cantusque tot, iocosque
Quot æthere astra splendent,
Littore iacent arenæ,
Modò vber istud vber
Casto premas labello.
Maria lac propinat
Exuge lac, puelle.

ORA-

ORATIO.

S. Elzearij Comitis pro Castitatis conseruatione.

DOmine IESV CHRISTE, qui es seminator casti consilij, & cui cordium arcana patent: scio quia sine tuo speciali dono non possum castè & continenter viuere, quandoquidem nemo continens esse potest, nisi tu des: & idcirco rogo tuam gratiam, quæ omni humiliter petenti liberaliter se communicat: vt carnis voluptates fugare, & quod te inspirante in animo concepi, ad finem vsque complere, & seruare possim. Deus, qui habenti bonam voluntatem etiam facultatem dare pollicitus es: affectum mihi, quæso, perseuerantem tribue, vt addatur gratia gratiæ, & iugo contagionis excusso, suscipiam iugum sanctitatis, ambulemque corde sincero coram te, quoad immarcessibilem tandem percipiam in Cælis coronam, & cantem laudes bonitatis tuæ in sæcula. Amen.

Ad

Adoptatio B. V. in Matrem, certissimum Castitatis Amuletum.

O Regina Virginum Maria, amantissima Mater mea, Ecce Iesus benignissimus filius tuus, Virgo Ioannem Virginem, & me indignissimum tibi Virgini in filium adoptauit. Obsecro te igitur, per amorem, sanguinem, & mortem eius suscipe me in filium, quia filium tuum & te toto corde diligo, atque eligo in matrem, & sumo, si placet tibi, cum Bernardino & Edmundo tuo in sponsam animæ meæ. Malo siquidem mori, quàm cogitatione, verbo, vel opere alicuius amore inquinari. Sequi te cupio, & Iesum Agnum, quocumque ierit in Æternum, & cum Angelo custode puritatem seruare Angelicam iuxta statum meum in Æternum: Accipe & serua, ô dulcissima Mater, cor & animum & corpus meum, tibi toto corde dicata in Æternum. Amen.

SYM-

certissi-
m.

, aman-
ſus be-
annem
m tibi
bſecro
nem, &
n, quia
go, at-
placet
do tuo
uidem
o, vel
Sequi
amque
lo cu-
elicam
Acci-
cor &
o cor-

YM-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Religio in Deum. 19.
ARA
PIETATIS
Vt viuam, morior.
Mart. Bass. f.

SYMBOLI EXPLICATIO.

Religionis in Deum hoc Emblema. Mons pro theatro eſt, actor Phœnix. Specta; pium hoc ſpectaculum eſt. auis illa in montis vertiçe ad aram pietatis, thure, caſiâ, cinnamomo, alijſque odoris ſtramentis inſtructa, ſoliſque ardentioribus radijs exceptis vitam Deo Naturæ authori immolat, ſacrificula & victima.

Non caret ſuâ laude & præmio tam inſignis pietas: enimverò è cinere quaſi è tumulo nouus, meliorque phœnix exſurgit, qui tantam erga Deum Religionem hominibus ipſis commendet, ſpondeatque pa-

ri

ri virtuti gloriam apud omnes posteros immortalem.

Agedum, nam & te decet, mi Adolescens, in isto præsertim florido ætatis vere, Numini offerre hostiam Abelis, id est, quod in tuo grege præstás est atq; eximium, Cor, inquá, nam hanc Deus à te victimam deposcit; Fili, ait, præbe mihi Cor tuum. Ei debes, & cui potius? Neomystam te esse volo, thus adole, teq; tui, rerumque omnium authori immola.

CAPVT QVARTVM.

Religio in Deum.

MONITVM.

A primis Annis Religiosè Deum colito.

SALOMON.

TV verò Deum time. Eccl. 5. *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent.* Eccles. 12.

In omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos. Prouerb. 3.

Custodi

Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias. Eccles. 4.

Justus, prior est accusator sui. Prouerb. 18.

Sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Prou. c. 9.

MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Quid Religio, & quæ eius laus.

EAm virtutem quæ hominem efficit pium Numinis cultorem, nos Religionem, θεοδέσειαν Græci appellant, quasi Dei obseruantiam ac cultum: Religionis verò nomen docent Lactant. & S. Hieronymus sumptum esse ab co vin-

§. 4. c. 28. Institut.
Hier. in c. 3. Amos.

vinculo, quo arctissimè Deo religati obstringimur: cuius vinculi tam gordiani sunt nodi: vt exsoluere nunquam possimus. Licet autem habeat illa causas obligationum plurimas: tamen ad duo summatim capita videntur reuocari posse. Nam primùm cùm à Deo Opt. Max. acceperimus, vt homines essemus, omnia ea officia ei debemus, quæ benè instituti filij debent carissimis parentibus: deinde quòd ab eiusdem potentissimâ manu ita pendeamus: vt neque ea quæ in nos profudit beneficia, neque nos ipsi omnino ad momentum temporis sine ipso consistere possimus: ea pręterea debemus, quæ obsequentissimi serui suis dominis debent. Atque hinc, quæ quantaque sit huius virtutis laus atque præstantia, elucet: versatur enim circa cultum Numinis, eique suum honorem defert, cuius ipse Deus est vnicè amans & studiosus: ecquid, obsecro, excellentius agant homines in vita, quàm vt verum Deum norint, & quibus decet religionibus colant? Religionem S. Hieronym. viam regiam. S. Ambrosius initium intellectus, fundamentum omnium virtutum, S. Gregorius Nazianzen. pios homines non tam homines, quàm Angelos. S. Hieronym. præterea

L. 6. in Is.

L. 1. de offic. c. 27. Carmine de hom. externi vilitate Epiph. paulæ.

terea propè Martyres appellauit. Denique Theologorum Phœnix S. Thomas, in virtutum choro secundum Theologicas vni Religioni principatum tribuit: idque iure meritissimo: quòd cùm illa Deum propiùs spectet, qui supremus est omnium finis, moralium virtutum censeri facile princeps debeat, quarum dux sit atque quodammodo parens.

2.2. q.8.

Porro ad Religionem seruandam tum sacræ literæ aliàs sæpe, tum Salomon ipse hortantur; imò eius studium præcipiunt. Nam ex Salomonis oraculo effatum est istud *Deum time:* quanquã & eam legẽ iam antè rationi insculptam, cùm primùm nasceremur, à natura ipsa accepimus, videmusque adhuc ita hominum generi altè impressam: vt nulla fuerit sitque natio, quæ non aliquod Numen ritibus, ac sacris coluerit: tractauit hoc argumentum ex oratoris Romani sensu diuinè Lactantius. *Hoc*, ait, *eximium facit hominem, quòd sibi dãtum est nosse diuina*, cumque subiecisset ex Ciceronis sententia nullum esse animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei, atque in ipsis hominibus nullam esse gentem tam feram, quę non (etiamsi ignoret qualem Deum haberi deceat)

L. 3. diuin. instit. c. 10.

deceat) tamen habendum sciat, hæc deinde adiungit. *Quid est cur Philosophi disputent eò dirigendam esse mentem quò vultus erectus est? Si enim nobis in cælum spectandum est: ad nihil aliud vtique quàm ob Religionem: si Religio tollitur nulla nobis ratio cum cælo. Itaque aut eo est spectandum, aut procumbendum in terram; quò nimirum videmus esse proiectas reliquas animantes.* Quod ibi diuinè Lactantius, alibi haud scio an non etiam diuiniùs prosequatur. *Homo*, inquit, *ideò solus præter cęteras animantes rectus corpore ac statu factus est: vt ad contemplationem parentis sui exarsurus esse videatur: ideò sermonem solus accepit ac linguam cogitationis interpretem: vt enarrare maiestatem Domini sui possit, postremò ei cuncta subiecta sunt, vt factori artifici Deo ipse esset subiectus. Si ergo Deus, hominem suum voluit esse cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit: vt rerum omnium dominaretur; Vtique & iustissimum est Deum colere, qui tanta præstiterit.* Romæ olim superstitiosè quidem: sed tamen ad commendationem Religionis appositè fontinalia celebrabantur. Erant ij dies festi, quibus serta in fontes proijciebant Romani, puteosque coronabant: vt, quia ab illis perlucidos liquores ad restinguendam sitim accepe-

De Ira Dei c. 13.

Caussin. in symb.

rant, ijſdem gratiam aliquam referre velle viderentur: Commendabant eo facto grati animi ſaltem ſignificationem, in eos, qui erga nos benefici extiterint: ac ſi clarè dicerent, Aquam hauſiſti, puteum corona. Quanta verò ſint numero & magnitudine ea beneficia, quæ à Dei Opt. Max. munificâ manu accepiſti, vt intelligas, mi Academice Adoleſcens, atque faciliùs memoriâ teneas, En tibi diuinorum beneficiorum breue, ſed locuples Alphabetum. Beneficia Dei ſunt,

Anima ratione aliſque omnibus potentijs apprimè inſtructa.

Bonus Angelus vitæ ac morum cuſtos, doctor, tutelaris.

Corpus ſenſibus ſuis, organiſq; bellè ornatum.

Diuitiæ, certè quantum tibi ſint ſatis.

Euchariſtia: quàm verò diuinus ille animæ tuæ cibus?

Fides, quâ in Chriſtianorum numerum es adlectus.

Gratiâ, quâ etiam in Dei filium, hæredemq; adoptaris.

Habitus ſupernaturales, quibus ad bene agendum vtaris.

Incarnatio filij Dei, quo munere nihil diuinius dari potuit.

Libri tum ſacri, tum pij, quibus inſtruereris.

Maria

Maria Virgo & Mater, quæ tibi Ianua cæli esset.

Naturæ dona, Ingenium, Iudicium, memoria, forma, vires.

Occasiones tot ac tantæ rei tuæ benè gerendæ.

Parentes, Præceptores, Pædagogi à quibus vitam & amores acciperes.

Quæstus meritorum, ad gratiæ & gloriæ cumulum.

Redemptio tui à seruitute tyrannicâ Peccati, Mortis, Dæmonis.

Sacramenta quibus Deo nascereris, armareris q̃ ad luctam.

Tempus, quâ re vna nihil aut rarius est, aut carius.

Vita æterna, si modò cum Dei gratia eam consequi velis.

§. II.

Religio maximè decet Adolescentiam, & literarum studiosos.

QVòd si verò in omnem vitæ humanæ partem, quæ de Religionis vinculo disserimus, aptè cadunt: multo maxime in Adolescentiam: ideò enim Iuuenes præsertim ita monet Salomon: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis;*

& appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Scilicet vt verecundia, ita Religio maximum quoddam est istius ætatis ornamentum: Adolescentem enim plurimùm commendare solemus cui non modò genæ honesto pudore purpurascant; sed oculi præterea, ora, totusque corporis habitus pietatis florem quendam atque odorem intuenti inspirent. Deinde si statim atque sensus infundi cœpere (quod à S. Ambrosio est obseruatum) naturæ inductione vitam amamus tanquam creatoris singulare munus homini datum; par est profecto, vt ab ipsis vnguiculis cultum honoremque ei deferre incipiamus, à quo esse & viuere cœperimus. Denique est istud primævæ vitæ tempus (quod Salomon quoque significauit) ad officia pietatis factum maximè, atque oportunum: dum scilicet vegetus est animus, & ad ea omnia, ad quæ se se applicuerit, impensus atque ardens: nam cum anni tristiores, & displicentis tetritæque senectutis incommoda successerint, neque diuina meditari, neque orare, neque alijs Religionum partibus vacare licet: multis certè parum lubet. Quare fit plerumque, vt qui in prima ætate minus pij ac Religiosi aduersus Deum extiterint,

Lib. 1. de Offic. c. 17

rint, ſenes effecti, in pietatis etiam exercitationibus frigidi qui, animique torpentis, vltrò elangueſcant: cùm è contra qui in Adoleſcentia in pietatis ſtudia exarſerint, aut ſemel conceptum ardorem transferant in ſenectutem, aut aliquando ſopitos illos ignes facilè quaſi cineribus decuſſis excitēt. Quamobrem, matres & nutrices imprimis curare iſtud ſtudiosè debent, vt ipſæ primas pietatis (vt ita dicam) guttas cum lacte pueris inſtillent, atque vt pueri quoque exſugere, atque imbibere vel in ipſis cunis aſſueſcant. Addi iſtud hoc quoque debet, præ cæteris eos Adoleſcentes plus pietati operam ac ſtudij collocare oportere, qui ad ſapientiæ diſciplinam animum iam conatumque applicuerint, ſiue quia impijs atque irreligioſis tam diuinum munus concedi nefas eſt, neque decet: ſiue quia ſapientia non modò ad pietatem pertinet; ſed etiam ipſa pietatis quoddam genus eſt. S. Auguſtinum huius rei authorem habeo. *Sicut nemo* (ipſius verba ſunt) *à ſe ipſo eſſe poteſt: ita nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt: ſed ab illo illuſtrante, de quo ſcriptum eſt. Omnis ſapientia à Deo eſt, hominis autem ſapientia pietas eſt: habes hoc in libro S. Iob. Nam ibi legitur, quòd ipſa ſapientia dixerit homi-*

In Enchiridio c. 2.

C. 8. iuxta 70.

ni. Ecce pietas est sapientia. Si autem quæras, quam dixerit eo loco pietatem, distinctiùs in Græco reperies θεοδέσειαν, qui est cultus Dei. Quam S. Augustini sententiam verissimam esse multorum locorum temporumque vsus luculenter comprobauit. Obseruatum siquidem est, eos ferè Iuuenes in scholis primas obtinere, qui singulari in Deum pietate præstiterint, plurimos mediocriter tantùm à naturæ donis instructos emergere tamen, atque per pietatis Templum, ad Sapientiæ aram, honorumque summos Apices grassari. Ingenia verò excelsa atque viuacia, etsi reliquæ Animi Dotes adsint, flaccescere plerumque, aut etiam humi iacere, nisi Pietas & Deuotio accesserint.

§. III.

Partes Religionis quæ sint.

SEd nunc quæ tandem partes actionesque sint pij Adolescentis (Academici præsertim) expressè & sigillatim persequamur. Verùm precepta ad Salomonis mentem accommodatè trado, non libellum precatorium: itaque precandi formulas hîc non inseram, quòd

quòd sit istud ab instituto meo alienum: eas meus Academicus aut alibi facilè reperiet, aut habebit separatim ad huius tractationis calcem si quid huiusmodi precationum visum erit, attexere. Nunc præcipere pietatis officia aggrediamur.

Manè primitiui fructus, imò rerum omnium primitiæ, Deo rerum omnium Authori iure olim diuino debebantur: parque foret illi eadem, vti sanctè debentur, ita religiose exsolui: nihil verò ipse tam impensè, vel optat vel deposcit, quàm vt primas saltem cuiusque diei cogitationes, affectionesq; offeramus, quæ negare sine grandi piaculo minimè possumus. Quare statim atque expergiscetur Academicus Adolescens, mentem ab omni aliarum rerum curâ deuocatam transmittet in Deum; Signoque Crucis munitâ fronte abire in diuinas laudes incipiet. Verùm scio neque feret istud malus Dæmon; vtque Diuinitatis est ambitiosissimus, cordis primitias præripere sataget: sperat enim si prior partem sibi vindicarit, facilè se reliquum totius diei decerpturum. Audi quid hac de re B. Climachus senserit. *Est è spiritibus vnus, qui præcursor dicitur, qui nos è somno surgentes protinus excipit, primusq;*

nostrum

nostrum cogitatum inquinare nititur: Tum subijcit, quod te iam monere cœperam. *Da Domino primitias diei tuæ: erit enim uita eius, qui prior occuparit.* Iam vbi è lecto te proripueris, aqua lustrali tinctus, rectà ad Oratoriolum te conferes, flexisque genibus, manibus iunctis, animo in Deum præsentem, oculis in piam aliquam imaginem defixis precabere. Deo Opt. Max. gratias ages pro beneficijs, præsertim noctis fœliciter transactæ: te, tuaque omnia ei offeres, propones virtutis studium sectari, vitij grauioris, cui es addictus, fugam. Opem in id diuinam implorabis. Subijcies deinde aliàs precationes, tum si plusculum indulgere pietati voles, aliquantulum præterea temporis tribues diuinarũ rerum meditationi, *Quem in finem Deus te crearit? quibus vijs eò contendas? quàm viles sint res humanæ? quàm certa mors? quàm dies incertus? quæ ratio reddenda? quid Cælum? quid Inferi? quid Æternitas? quæ, & quanta Christus egerit & passus sit tui causâ: quàm propè Beata Virgo, reliquique Cælites sint insequuti: quàm tu longè absis; aliaque eiusdem generis.* Postremò oratione S. Thomæ Aquinatis, aut aliâ quapiam aduocabis è cælo increatam sapientiam: atque tum tandem promptus atque alacer

cer in literarium negotium incumbes. Occurrent loci difficiles atque implicati: figes in imaginem piam oculos, mentem in Deum, è Cælo lucem implorabis. Tum cubiculo egrediens Cruce te prius & aquâ lustrali munies, breuissimâque ad Deum, Angelum, aliosque Diuos Tutelares oratione, rursus opem diuinam implorabis, idemque ages, cùm regredieris, neque studia resumes, quin precatiunculâ S. Spiritus gratiam efflagitaueris: imò, si me audis, quoties Horologium ad horam vitæ tuæ fortassis vltimam insonuerit, horæ malè tibi delapsæ veniam, secuturæ vsum meliorem à Deo peres: mentis citissimâ agitatione fieri istud potest, præsertim postquam assuêris: quid ni & semel salutationem Angelicam recites? cui pietati in Virginem Leo X. & Paulus V. mille dierum Indulgentiam concessêre. quid ni & subinde per interualla quasi ad quandam animi respirationem, orationes quasdam & ardentissimas & breuissimas, è paratâ ad eum finem pharetrâ depromas, & eiaculeris? *Religiosum*, inquies, *non Academicum Iuuenem videris instruere, quem continuò orare, non Philosophari velis:* Atqui ego saltem Christianum me instruere existimabam. An

rerum

rerum fidei Christianæ tam ignarus es, vt nescias te in Cælum contendere oportere viâ non lubricâ modò, sed ita etiam Tartareis prædonibus infestâ, vt nullo tempore, nullo loco, nisi diuinâ ope fultus consistere queas? quid agat homo, & imbecillis & inermis in tanto salutis discrimine, in quo perijsse semel æternum est? Quid agat? nimirùm quod iam monebam & ipse hortatur Salomon: *In omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.* Verùm quia non tam Religiosus, quàm Philosophus esse amas, velim istud tibi persuadeas te in literarum otio tantum consecuturum quantum orando precando q; Deo diuinisque rebus indulseris. Quis Magno Aquinate aut in Philosophicis disciplinis doctior, aut in Theologicis quęstionibus sublimior? Quis vnquam eodem orationi addictior? Nunquam ille se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem: in difficultatibus locorum scripturæ ad orationem ieiunium quoque adhibebat; quin etiam Sodali suo Fratri Reginaldo dicere solebat: quicquid sciret non tam studio aut labore suo peperisse, quàm diuinitus traditum per orationem accepisse. Ita igitur, cùm in precandi studio Thomas singu-

In vita Sur. 7. Mart.

ſingularis Phœnix eſſet, in eruditionis laude ſublimis Aquila euaſit. Cùm Thomæ iſtius memini, venit quoque in mentem Thomæ alterius, qui non ita pridem Romæ Philoſophus pius ſanè extitit: Pietati enim ſe ita dederat, vt omnes ipſius actiones diuinum quidpiam ſaperent; Inter Schedulas, quibus Logicus in ſyllogiſmorum ſe formulis exercebat, reperta eſt vna, quæ hoc Paradigma, ſummæ Pietatis exemplar referebat. *Omnis ſempiterna vita, ſi fieri poſſet, ſempiterno eſset labore emenda: ſed cœleſtis gloria eſt vita ſempiterna: labore igitur, ſi fieri poſſet, eſſet emenda ſempiterno:* ita non magis Philoſophię Thomas, quàm pietati ſtudebat. Et placuit ſuperis iſta Philoſophandi ratio: nam Cœleſtem Iuuenem Angelus, & Apoſtolus Thomas, Diui ipſius Tutelares ſuauiſſimo ſuo aſpectu, iucundiſſimaque per pratorum amœnitates inambulatione mirificè aliquando à ſtudijs grauioribus recrearunt.

In Alph. Chriſti ex lite. ſoc.

Tempus eſt vt domo egreſſi Templum, Religionis propriam ędem ingrediamur. Verùm retinet in primò ſtatim limine pientiſſimus Salomon. *Cuſtodi*, inquit, *pedem tuum ingrediens domum Dei & appropinqua, vt audias.* Moyſi propiùs

Templum.

ad

ad montem accedenti: vt rubum prodigiosè nullo sui damno ardentem cominus contueretur, à præsente Numine oraculum emissum. *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Nefas igitur & piaculum videbatur calceatum assistere eò loci, vbi præsens Numen, videndum se mortali homini pręberet. Quid quod etiamnum Mahumetani, nudis pedibus, venerationis ergo sacrilega sua delubra ingrediuntur? & ex Idololatris nonnulli, nonnisi excalceati ad res sacras accedunt? & necdum intelligunt Christiani maiorem à se reuerentiam in Templis præsenti Deo deferri oportere? Igitur modestè primùm, corpore, animoque ad pietatem compositis, religioso metu plenus Templum ingredere: nam si cui in Aulam Principum concessus est aditus, vt primum limen attigerit, colligit sese, sibi rebusque tractandis solùm intentus: vt verò Regis Principumque vultus atque ora conspexerit, mox ita impallescit, ita omnibus cohorrescit artubus, vt si fulmine repentino percelleretur: atqui ædes sacræ Basilicæ sunt, & augustissima Palatia: Vbi Deus est modo singulari; vbi Christus in Eucharistiæ Sacramento cum amplissimo Angelorum

Exodi c. 3

gelorum comitatu ac famulitio sistitur: quâ par est ibi reuerentia assistere? Sed pręter decentiam corporis animique sibi præsentis attentionem, id maximè faciendum: vt pedem nudes, calceumque abijcias, id est, adferas cor à prauis affectionibus nudum ac liberum, alioqui solenne istud carmen occinetur. *Procul hinc, procul esto prophane*; etiam flagellis arcendi canes ab aditu adytisque Templorum. Heu me! quis enim sine bile & lachrimis ferat eos, qui ad Templa veniunt superbo pede, impudenti vultu, luxurianti vestium pompâ comptuli, polituli, animo etiam subinde insolenti, & lasciuo: vt aut spectent, aut spectentur: id est, vt dicata Diuino cultui loca pro foris aut prostibulis habeant, nundinentur pudicitiam, lenocinentur, libidinentur? Heus tu! quid hæres ad valuas, ad Templi limen? aut ingredere, & aræ appropinqua, vt rem Diuinam audias; vel omnino egredere. Oculis hunc, illum, illam, hancque improbe sagittas, & alios teque nefandè vulneras. Sacrilegus es, abi; aut ab irato Numine non è funiculis flagellum; sed pice ardentem facem time. Paulò leuius sed tamen satis grauiter peccat nonnemo alius toto corpore bos, aut ad Columnam

lumnam cornutus astat, aut in scamna procumbit: iam vno cubito innititur, iam altero: iam hunc flectit poplitem, iam illum, vtroque rarò supplicat: diceres vnum esse aliquem ex ijs satellitibus, qui in Cayphæ Domo flexo vno genu quasi venerabundi, Christum non adorarunt, sed irriserunt; aut ex sodalitio eorum veteranum quempiam, qui ad geniculantes atque inclinantes arcubalistâ eiaculantur. Res non modo ridicula in Templis: sed etiam impia. Sunt qui oculos hinc inde euibrant, atque ceruices fœdum in modum contorquent; res minimas censore supercilio, etiam muscas, atque atomos obseruant. Quid cætera enarrem? orant perpàrum, & istud, quidquid est, obscurè obmurmurando ita corrugatâ fronte & malè diuaricato ore: plane ac si spinas esitét, aut crudas ficus. Alij libros interim voluunt à loco & tempore alienissimos, turpiculos enim dicere puduit. Plurimis distrahitur in alia omnia animus, non dicam ad fœda & obscœna: sed tamen in nugas de Sphæristerio, de pilis, de lusu, de nuncio, de pecunia, de popina mens consilia aut suspiciones agitat: nec desunt qui cum alijs nugas tractent, &, ne quid sceleratius nomi-

nem,

nem, fabulas. At domus ista Dei est & orationis; non forensium causarum, non nundinarum. Academicus meus Adolescens non ita aget, si mihi & Salomoni auscultat. In primo ingressu, sancti Bernardi exemplo alienas cogitationes iubebit consistere, dum redeat; vestem mentemque componet ad pietatem, aquâ sacrâ se religiosè leuiter tinget: vtroque genu posito, manibus iunctis, oculis ad Aram aut piam ad Imaginem, aut pium librum deflexis supplicabit. Accedet, si commodè potest, ad sacris operantem propiùs, vt audiat. Vbi hæc paucis præscribenda: Peccatorum primò veniam enixè à Deo petes, quamdiu ad pedem Altaris consistet Sacerdos. tum certum finem sacrificio præstitues, vel Hæreticorum Conuersionem; vel bonum quoduis aliud Reipub. aut Catholicæ Religionis, aut priuatum siue tuum, siue eorum, qui ad te pertinent. Cùm sacra Hostia adoranda proponetur Christum istic recognosces tam dira, duraque pro te olim passum, & demississimè adorabis: te, tuaque ei omnia commendabis. Sacerdote verò hostiam consumente, Sacramenti fidem veram, eius sumendi ardens desiderium, seruatoris tui in te

vehementissimum amorem excitabis. Atque ita communicabis de sacrificio saltem spiritualiter. Reliquo tempore dum res diuina agetur, alia pietatis pensa exsolues, vt volueris: Satis mihi est ista vel digito vno attigisse.

Mensa. Iam ne communis quidem mensa, religione apud Christianos vacare debet. Insigne huius officij est apud S. Basilium documentum. *Antequam*, inquit, *corpus cibo reficiamus, preces concipiendæ sunt pro dignitate diuinorum munerum tum eorum, quæ in præsens nobis tribuit, tum eorum, quę in posterum tribuentur. Curatis corporibus rursum preces fiant: quibus & ob accepta beneficia gratias agamus, & promissa nobis à Deo efflagitemus.* Hunc benedicendi gratiasque agendi morem antiquissimum esse, constat ex S. Iustino Philosophorum Christianorum Coryphæo insigni & prenobili Martyre, qui istarum precationum formulas ad nos vsque transmisit. Superuacaneum est igitur istud pluribus monere: ac ne monuissem quidem, nisi compertum haberem à leuiculis græculisque subinde Adolescentibus, cùm præsertim extra domum paternam in Academijs versantur, illam Religionis partem negligi, graui sane reprehensione omnium

Epist. 1. ad Greg. Theol.

prope

prope animantium, etiam ferarum: quę ijs à quibus cibos acceperunt, gratiam quo possunt ritu, referunt. Soli enim sunt Porci (verè Porci) quos videas, nullâ aut prece, aut redhibitione gratiæ accedere ad epulas, & æquè inofficiosos recedere.

Abit iam dies in altam noctem, & tu diurnis curis studijsque fessus, ad quietem properas. Placet; tamen hic etiam mihi monendus es, mi Academice Adolescens, è trito quidem, sed planè Christiano documento. Vesper.

Non priùs in dulcē declinent lumina somnū
Quàm priùs exacta reputaueris acta diei.

Ne diu in modo hæsites, facile erit ad manum amussis, ad quam id exigas.

Solue Deo grates, pete lumen, discute mentē.
Delicti veniam posce, recîde malum.

Hoc facies efficacissimè actu contritionis ex amore Dei super omnia. Subijcies alias quoque precatiunculas, pro vt opportunum iudicabis: ita denique signum Crucis, aquaęque lustralis sacro tinctu munitus, ad quietem te compones. Curandum maximè vt in pia aliqua cogitatione indormiscas, mortis præsertim, cuius somnus imago est: vnde & iuuerit ad lectum habere mortui effigiem, quæ mentem magis feriat.

certe eæ ferè dormientium & expergescentium cogitationes recursant, quæ postremæ in vigiliâ fuerint, quam in rem facit, quod B. Climachus scripsit.

Gradu 36. *Quoties*, inquit, *quietis causâ lectulo decubuerimus, adueniens immundus Spiritus iniquas ac sordidas cogitationes, velut spiculà quædam, iaculatur in nos: vt cùm per desidiam ad orationem non exsurgimus, neque contra illum ociùs armamur, in sordidis obdormiscamus cogitationibus, sordidaq; videamus somnia.* Quare laudandus quorundam ille feruor, vt Rosarium B. V. ad spondam lecti & aquę lustralis vasculum, flagellum, cilicium in promptu semper habeant contra nocturnos illos assultus: atque vt somnus identidem noctu interrumpitur, in orationem pro mortuis, atque in suauissima pientissimaque illa nomina prorumpant. IESVS MARIA. Quę dixi, in dies singulos adhibenda sunt: quæ sequuntur diu saltem differri non debent, Confessio peccatorum & sacra Communio.

Confessio. Ac de Confessione quidem ad peccatorum expiationem diuinitus instituendā aliquid pręsensisse videtur Salomon; *Justus*, ait, *prior accusator est sui.* Quem locum de Sacramentali ad Sacerdotis aures accusatione grauissimi scriptores accipiunt; inter quos eloquentiæ Chri-

ſtianæ fulmen ipſe Chryſoſtomus, cùm enim ex 70. interpretatione ita legiſſet: *Iuſtus ſui ipſius eſt accuſator in principio ſermonis*, ita explicat. *Dic tu iniquitates tuas prior, non ſimpliciter dicit: dic tu iniquitates tuas, ſed adiecit, prior: hoc eſt, ne expectes te arguentem, ne præſtoleris Actorem, ipſe præueni, & rape ſermonis principium, vt accuſatoris linguam obmuteſcere facias. In humanis quidem iudicijs ſi quis hoc faceret & ante accuſatorem crimina confiteretur, quamuis apud humaniſſimum iudicem, is ſententiam capitalem omnino in ſuum caput accerſeret; At miſericordia Dei maior eſt, Ineffabilis Bonitas & Clementia. Nam ſi aduerſarium noſtrũ præuerterimus, (Diabolum dico, qui in die illa ob faciem noſtram ſtabit) & in præſenti vita, antequam tribunal ingrediamur, facinora confeſſi fuerimus, dicendiq; principium rapuerimus, noſtri ipſorum facti accuſatores, in tantam miſericordiam prouocabimus Dominum: vt non ſolum nobis donet liberari à peccatis, ſed etiam in iuſtorum Catalogo numerari.* Hom. 20. in Geneſ. c. 4.

Placet ad Salomonicæ ſententiæ maiorem lucem ex ſancto Ambroſio etiam facem accendere, etſi ſenſu nonnihil diuerſo. *Lupus*, inquit, *ſi prior hominem viderit, vocem illi eripit, & deſpicit eum tanquam victor vocis ablatæ. Idem ſi ſe ab* Lib. 6. hexa. c. 4.

homine prauisum senserit, deponit ferociam, & currere non potest. Tu nescis, quomodo eripias virtutem aduersario, vt tanquam prauentus lupus effugere non possit, vt oculo tuo mentis eius perfidiam deprehendas; vt prior cursum verborum eius impedias, impudentiam eius & acumen disputationis obtundas: quòd si ille te prauenerit, vocem tibi aufert. Hoc tibi mi, Academice Adolescens, dictum puta. Rem propiùs attingamus: peccasti? id est, luculentam animo plagam accepisti? adi spiritualem medicum, qualem tibi superius descripsi, fidenter & planè, integréque vulnus quantumuis sanie & fœtore horridum aperi, & ad Sacerdotis aures doloris, melioris propositi, optimæque spei plenus depone. Non audeo, inquis; atqui ausus es tamen Deo ipso spectante facinus admittere: audesque etiam nunc eo scelere contaminatissimus in conspectu solis ac irati Numinis comparere; Fateri admissum crimen, non vitio, sed virtuti vertere debes; non probro, sed honori. Deinde puduisse anteà oportuit, cùm facinus designares, aut patrares; præposterus, imò turpis, nunc est tuus pudor. Ferunt Iuuenem è domo infami egredientem cùm præteuntem Socratem deprehendisset, mox

in

in conſpectum Philoſophi prodire minimè auſum reſilijſſe retrò poſtem, ne videretur. Socratem acceſſiſſe, apprehenſoque brachio extrahentem, dixiſſe Iuueni rubore ſuffuſo; ingreſſum te fuiſſe ſiquidem pudeat, at ne pudeat, Adoleſcens, ex infami loco egredi. Pergis verò tu mihi iterum iſtud obtrudere; *Certe non audeo, ac ne egredi quidem*: hoc nimirum callidus & impius Cacodæmon agit, ille animo tartareum illum pudorem ſuffundit, & quod lupi faciunt ouiculis, ne paſtoris opem balando implorent, faucem tibi ſtrangulat, & ora, ne fateare, occludit. Quid (hæ ſunt ipſius aſtutiæ) iſtas turpitudines tuas impudens vel in aurem vomere audebis, quarum vel te nunc meminiſſe perpudet? quid confeſſarius de te cogitabit? quid obijciet? quid exprobrabit? hæccine fides, hoc toties promiſſum iuratum, non recidam, non relabar? ea ille. Sed omnino Diabolicæ ſunt hę artes, ideoque negligendæ. Audi Chryſoſtomum. *Deus pudorem dedit peccato, confeſſioni fiduciam: inuertit rem Diabolus; & peccato fiduciam præbet, confeſſioni pudorem.* Quid ages? quid? contrà tu, lupum iſtum falle, & ei guttur vocemque ſtrangula, ne te in die

Hom. 3. de pœnitentia.

olim iudicij perditũ ſacrilegumq;accuſet:erit ſerò, cùm pœnitere ſeriò voles, fortaſſe non poteris: ſi verò iam peccatum liberè fatendo Dæmonem præuertis, eum muteſcere in iudicio facies; id te ſcilicet paulò antè iterum Chryſoſtomus Ambroſiuſque monuere. Valere hic quoque iſtud debet, accuſationem hanc apud prudentem, bonumque Sacerdotem (cuiuſmodi non difficulter vnum aliquem reperies) eam, inquam, accuſationem tuam non eò pertinere, vt ſicut in humanis iudicijs fieri ſolet, in carceres primùm, in vincula, ac denique in diram necem à carnifice pertraharis, ſed vt à Iudice pro poteſtate, quàm à ſupremo Principe accepit, abſoluaris, hæc enim eſt huius fori ac iudicij poſtrema formula. *Abſoluo te.* Adhuc tamen horres, & pudorem, iam impudens, toties obijciendo obtundis? ſic habe igitur, excarnificabunt te & necabunt ſordes tuæ, quas præ pudore in conſcientia retines, niſi ſtomachum exoneres, & confitendo pus euomas. Pudet? quantum voles, guttur, & os ferreum occlude; non eſt via alia euadendi, confiteri debes aut æternũ perire. Pudet? illæ, illæ, quas tam nequiter animo infodis, & ſigillo clauſis vnius Sacerdotis

auribus

auribus occultas, toti olim mundo reuelabuntur turpitudinies tuæ, nisi iam detegis. Næ, inquis, isti stimuli perfodiunt, & altè vulnerant. Igitur. Cras, cras, ô Coruinam iterum stygij venatoris vocem? non times istud sancti Gregorij fulmen? *Qui pœnitenti veniam spopondit, crastinum non promisit.* Si virus, si vulnus lethale acceperis, an Medicum, aut Chirurgum, vel non vocas statim; vel, si potes, ad eum non aduolas? periculosa hic est mora. Quid si ardens scintilla in lectuli plumas dilapsa sit, nisi priùs extinxeris, indormire non audes: audes peccato mortali nondum ex animis sublato, illâ inferorum ignium faculâ nondum excussâ, etiam vnius noctis quietem capere?

Sequitur Communio, quam Regis Angelorum diuinissimam mensam vt frequens adeas, ipse (quod mirum est) inuitat Salomon, imò ipsamet, quam toto pectore hinc clamantem audire poteris. diuina Sapientia ad Euangelicam hanc Cœnationem vocat. Ac primùm pro triclinio Ecclesiam esse iubet, pro mensâ sacerrimæ Religionis Aram. Atque prælusum quidem pridem fuit huic epulo tot illis Mosaicæ legis figuris atque vmbris: at nunc post vmbratiles

Communio.

les illas mensas rem ipsam, Panem & Vinum, sub speciebus, inquam Panis & Vini edendum, bibendumque Corpus Filij Dei, & Sanguinem exhibet: nam eum Salomonis locum ad Eucharistiam SS. PP. neque ij pauci, neque obscuri referunt, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius alijque. Tum vero illa, quæ epulum apparauit, Sapientia, ad cœnationem amicissimè inuitat; quis enim ad tam diuinam mensam non inuitatus accedere auderet? *Venite* (inquit) *& comedite Panem meum, & bibite Vinum, quod miscui vobis.* Ne verò obscura cuipiam sit ista inuitatio: misit Ancillas, aut (vt 70. interpretantur) seruos suos: Angelos, Apostolos, Doctores, reliquos verbi Diuini Præcones: vt omnes quidem, qui modo genialem albamque vestem induerint, in Cœnaculum conuocaret, verùm paruulos præsertim & rerum, scientiarumque adhuc rudes. Hæc enim est illius vox, *Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est, venite, comedite, bibite.* Imperitos igitur, & (vti S. Gregorius Magnus explicat) à Sapientiæ fastu minime turgidos adesse illa præcipuè ac nominatim iubet. Nimirum huic Angelorum mensæ crebrò assidere deberent profectò omnes, ætate,

L. 4. Mor. c. 17.

ętate, Sapientiâque minores facere id debent & crebrius & ardentius. Quæ enim duæ res magis ijs optandæ sunt, vita longior, & maior eruditio, eas dignâ Sacramenti huius frequentatione, atque crebro vsu facile consequentur. Enim verò hic ille diuinus panis est quem vitæ & intellectus ideò Sacræ literæ nominant, quòd non modò vitam seruet, augeatque, sed ipsam pręterea multò efficacius quam arbor vitæ conferat immortalitatem; intellectum verò non modò illustret, sed ipsum (vt Ioël loquitur) Iustitiæ Doctorem, aut (vt 70. hic iterum interpretantur) iustitiæ escas in mentem quasi in stomachum per modum cibi intromittat. Ministrat huic, quod tractamus, argumento facem Psalmistę Regij iste versus, *Filij tui sicut nouellæ Oliuarum in circuitu mensæ*, quo iuniores Ecclesiæ filios & ob ætatem adhuc rudiores, nouellis oliuarum plantationibus comparantur: nam Oliuæ, quòd alternis tantum annis fructum ferant, annosiores sunt, & tardius emoriuntur, eædemque prudentiæ & sapientiæ symbolum perhibent. Quam ob rem sapientes viros oliuarum frondibus ac ramis olim prisci coronabant, Palladiæque sapientiæ Deæ oleam consecra-

Cap. 2.

Psal. 127.

secrarunt. His igitur de causis, Adolescens mi Academice, siquidem viuere & sapiens esse amas, frequentandam hanc tibi mensam esse, vt opinor, satis iam intelligis. At id etiam, nescio an non maiori de causâ facere debeas studiosius, quòd imbellis, & ad prolapsionem facilis in summo salutis periculo versere. Nam etsi omnem hominis ætatẽ tartarei hostes infestis prælijs adoriantur, atque solicitent: faciunt tamen & acriori difficiliorique pugnæ genere in Adolescentia, ad quam minori negotio debellandam vident ætatem ipsam, ætatisque vitio ardentem concupiscentiam, faces maleuolas, machinasq; sibi subministrare. Quare eò tibi est magis prouidendum, vt ne solus sis, & ea arma tibi compares, quibus resistere saltem hostibus, & minimè vinci possis. Atqui Eucharistiæ Sacramento nihil ad hanc rem potest esse præsentius aut fortius.
Psal. 22. *Parasti*, aiebat Propheta, *in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Rectè, nam si Deus non modò pro nobis, sed etiam in nobis, quis contra nos? Zachariæ istud fuit olim vaticinium. *Quid bonum eius est? & quid pulchrum eius? nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* quem locum 70. ita expli-

plicant. *Si quid pulchrum Deus, etsi quid bonum eius, frumentum iuuenibus & vinum boni odoris ad virgines.* Atque hinc scilicet factum, vt initio nascentis Ecclesiæ, cùm quotidianus Eucharistiæ vsus, esusque esset; tot reperirentur & pueri & puellæ, qui non modò virginitatem atque vitæ innocentiam colerent; sed pro ea etiam tuendâ vitam obijcerent, & crudelissimas neces obire minimè reformidarent. Scilicet panis hic gladius est Gedeonis, quo de Madianitis populus Dei triumphat, Panis Angelorũ, idem, & (vt alij ex Hebræo legunt) Fortium. Iudic. c. 7. Iob aquilinorum pullorum ingenitam indolem commendans, *Pulli* (ait) *eius lambunt sanguinem.* Cap. 36. Aquilarum vnum genus istud est, de quo Aristoteles scribit: pro potu sanguinem exsugit: Hinc illis ad audendum prędandumque ingentes animi. Quid non faciet in adolescentibus Christianis viuidior ille diuiniorque Christi sacer pro potu propè quotidie haustus cruor? Quare, vt sancti Gaudentij verbis hunc locum concludam: *Contendite, pulli generosi, ad sacram offam in qua est vita; & ex cœlesti illo cibo mica non cadat.* Serm. ad Neoph. Fuit olim vnum è reliquis diuinandi genus apud superstitiosas gentes per Augurium: pullis

auium

auium famelicis offula obijciebatur, illi ad obiectam sibi escam prouolabant. Si ita negligenter aut parùm studiosè, vt aliquid in terram decideret tripudium, aut terripauium erat infaustum, reique malè agendæ inauspicatum omen: si verò ruentes ita auidè sumerent; vt nihil tamen ex ore in terram delaberetur, negotium auspicato suscipi posse augurabantur: ita Reipub. ac Religionis Christianæ, tuoque ingenti bono fore ominabimur, si ita crebrò, auidè, alacriterque ad diuinam istam Ambrosiam prouoles, vt nullam tamen istius cibi partem, nullamque sacram communionem sine fructu tibi excidere patiare. Atque ista de Religione, quæ Deo ipsi in se debetur dicta sint hactenus. Restat vt de ea, quę illius causâ cœlitibus debetur pietate ac cultu verbulum attexam: ij è cœlitum numero pręcipui sunt Patroni Tutelares, custos Angelus, Dei Hominumque Virgo Parens Maria.

§. IV.

§. IV.

Religio in ſuperos.

QVibus ſuæ eſt impenſior ſalutis cura, iſtud quoque eſt ſtudium: aliquot ſibi vt è cœlitum toto numero, deligant certarum cauſarum rerumque apud Deum interceſſores atque Patronos, quos adeant, ſalutent, eiſdem negotia commendent, quoties tempus & res ipſæ poſtularint: hos ad virtutis cuiuſpiam conſecutionem, illos ad vitij extirpationem, quoſdam pro felici obitu, adſciſcant: tum certa, rataque pietatis officia in dies, hebdomadas, menſes deſcribant, quæ ad eorum cultum religioſiſſimè exſoluant: ita tamen, vt Angelum tutelarem, & è cœlitibus eum, à quo in Baptiſmo nomen accepere, præ cæteris autem, Virginem, Dei ac ſuam parentem pro quotidianis aduocatis habeant, colantque. Ex tutelaribus Diuis illi Litaniam conficiunt; quotidie mane, aut in Miſſa, aut Veſperi pie recitant, adduntque oratiunculam quotidie particularem de B. V. ad Angelum cuſtodem, ad Patronum, cuius nomen præ ſe ferunt, itemque ad eos, qui in deſi-

designatis hebdomadæ diebus pręcipuâ veneratione colendi veniunt: itaque præter cultum communem, eo die ad eorum honorem plusculum orant, vel bonum quodpiam opus deferunt. Cum verò festus Patroni alicuius dies inciderit, ieiunium pręmittunt, aut saltem abstinentiam à cibo & potu solito maiorem. Ipso die festo vel alternam Missam audiunt, vel etiam confitentur, & communicant. Angelo custodi id esse debebit proprium, vt omni ferè loco, sæpe-numerò saltem ad latus adesse, vt adest reuera, & iam ad virtutem excitare, iam dehortari à vitijs præsens audiatur, nihilq́ue animo committatur præsertim obscœnum, quòd meritò offendere eum possit: illudq́ue religiosè pręstetur, quod S. Bernardus piè monuit: *Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis: in quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Id ne audeas eo præsente, quod vidente me non auderes? quoties grauissima cernitur vrgere tentatio, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in oportunitatibus, in tribulatione inclama eum, & dic: Domine salua nos, perimus.* Ita non dubito, factitabat diuinus iste vir, quemadmodum alijs

In Psalm. qui habitat.

alijs præſcribebat. Verum primæ ſecundum Deum pietatis partes erga Deiparam Virginem excogitandæ & deferendæ erunt; ideò enim cultum eius SS. PP. & Doctores non Duliam vt reliquorum Sanctorum: ſed per excellentiam Hyperduliam appellant, vt quam Deus ipſe omnium maximè nobilitauit, Angeli vt Reginam ſuam proſecuti ſunt, pijſſimi ſapientiſſimiq́ue ſemper homines, præcipuo honore coluerunt, Maternitatis Dei titulo inſignem, & meritis atque poteſtate omnibus puris creaturis longè ante-ſtantem ſingulari etiam nos officio proſequamur. Infinita ſunt, quæ in hoc genere paſſim ſcribuntur, & hîc exaggerari cumulariq́ue poſſint, niſi ex aliorum libris ea iam res eſſet notior, quam vt hîc iterum obtrudi debeat. Exemplorum quoque vis, Beneficiorumq́ue apud Marianos cultores & clientes ab optima Matre collatorum tam immenſa, vt plena vbique proſtent volumina, pleni Annales, atque hiſtoriæ. Non omittam tamen fortaſſe vulgò notam, ſingularem tamen certè S. Gerardi in Virgine colenda curam, atque ſtudium. Is enim non contentus (vt Cauſini noſtri hîc verbis vtar) perpetuum Deiparenti Thymiama adole- In ſymbolis.

re, ita ad Mariæ nomen & inuocationem affectus erat, vt si quis reus clamà Familiaribus sãcti viri edoctus, veniã ab ipso peteret per nomen Matris Christi mox obortis audito nomine Matris misericordiæ pijssimis lachrymis persuaderetur & perinde ac si ipse reus esset, à reo veniam peteret. Ipso authore ab Húgarica gente non pronunciatur nomen ipsum Matris Dei, sed Dominam omnes vocant: si autem fuerit à quopiam pronunciatum nomen ipsius, statim flexis genibus & demissis in terram capitibus sese inclinant; atque ideò eadem Hungaria à sancto suo Rege Stephano. S. Mariæ familia appellata est: tam Pannones Mariæ, iam veteri religionis instituto sunt addicti. Porrò quęnam ad Marianũ cultũ pertineant in R. P. Spinelli, in Hortulo R. P. Francisci de la Croix verè Mariano, & apud alios fusius proposita explicataque facile reperies. Ego ex omnibus breuem dumtaxat Catalogum conficiam.

Angelicam salutationem piè sæpius recitato: ei, qui dum horæ pulsus auditur recitaret mille dierum Indulgentias à Leone X. concessas, à Paulo V. confirmatas supra diximus.

Rosarium nullo die intermittito:

Officium

Officium de Beata Virgine rarò.

Sanctissimum Mariæ nomen reuerenter pronuncia, scribe, audi.

Beatę Virginis imaginem fer tecum semper, habe in cubiculo, in libellis precatorijs, &, vbicunque videris, honora.

Loca Virgini sacra peregrinorum ritu, religiosè adi. Nihil eorum quæ concedi fas finit, ei nega, qui per Virginem rogarit.

Per eius manus preces & vota tua Deo offer, ita faciliùs impetrabis, quicquid è bono tuo petieris.

Sæpe de Virgine loquere, loquentes libenter audi, eius cultui deditos ama, & tibi adiunge.

Sodalitati Parthenicæ nomen dato; & inscriptus, legibus exactè pareto.

Sabbathinos dies, peruigilia, & dies Virgini festos pręcipuo studio cole, ieiunio, abstinentiâ saltem aliquâ, corporis afflictione, longiori prece, eleemosynâ &c. Omnium verò maximè & quidem studiosissimè, Virginis virtutes, & ex earum choro speciatim animi corporisque puritatem colito, imitator.

Duo alia quędã insignia Marianæ pietatis officia alibi reperies: vnum est pro felici obitu quotidie recitare Litanias

Lauretanas cum oratione ad sanctum Iosephum.

Alterum, sacrâ catenulâ B. V. seruitio se mancipare.

§. V.

Exercitia Deuotionis definita.

NVnc denique restat, vt quod capitis huius caput est, ex ijs, quæ dixi, decerpas, mi Adolescens, quæ accuratè, quasi ordinaria pensa pro Religionis debito rependas: sed primò accuratè ac diligenter, non oscitanter, non quasi aliud agendo, aut per transennam, & vt dumtaxat prefunctus officio videare. Deinde constanter atque fortiter non eorum more, qui iam in via currunt, iam herent in angiportis: sed studio continuo, atque contento: diligentiam illam, atque constantiam, diuina tum excellentia, tum perennis beneficentia à te deposcunt. Postremò non languidè, remissè, frigidè (dedecet enim omnino) sed calidè, feruenter, imò etiam ardenter: vno verbo, deuotè. Nam etsi propriè deuotio ea sit virtus, qua nos totos Deo obstringimus & consecramus, vt olim pro salute populi Romani

vter-

vterque Decius Pater & Filius se vitamque suam Dijs deuouerunt, tamen restrictè, neque malè, cum S. Thoma Theologi per deuotionem intelligunt actum Religionis, quo voluntas promptam & paratam se demonstrat, ad ea exequenda, quæ ad diuinum cultum pertinent, pręsertim cùm ea exsoluuntur cum sensu quodam, ex teneritudine colliquescentis affectus: quâ in parte præstitit Abrahamus ille, qui iussus filium suum vnigenitum tollere, & patrio solo, & insciâ ac insaluratâ Matre abductum offerre in Holocaustum, ne quid pręter cineres de tanta sobolis ac posteritatis spe superesset, idque super vnum montium, quem, ne quidem de nomine significatum, Numen postea demonstraret: de nocte, ne luce quidem expectatâ consurgens, strauit ipsemet asinum suum, ligna ad sacrificij ignem concîdit, imponit, duorumque tantum famulitio comitatus, qui, quid ageretur nescirẽt; abit tridui itinere, ac tandem loco, quem Deus designârat cominus prospecto, famulis consistere iussis, cum filio strue lignorum onusto ipse ignem gladiumque portans pergit, montem ascendit, Aram extruit, ligna componit, Filium pro victima adducit, ligat,

2.2.q.82 art.1.

Gen. c. 22.

& prope immolat. Promptitudinis parendi, alacritatisque ac deuotæ festinationis plena omnia, Filius vnigenitus, intempestæ noctis iter, & acceleratio, Parens idem & Sacerdos, idem Filius, & Hostia: neque vlla vspiam mora neque tergiuersatio.

Spectant ad hanc deuotionis interioris significationem in nostris sacris ac ritibus apertio aut inclinatio capitis, oculorum iam sublatio, iam demissio, tunsiones pectoris, genuum flexiones, lachrymæ ac suspiria, aliaque sexcenta eiusmodi, sine quibus Religio sarta tecta retineri, conseruarique non potest. Quod miror ne Ciceronem quidem latuisse, cùm dixit, Sapientis esse Maiorum instituta tueri, sacris, ceremonijsque retinendis. Hanc in rebus sacris teneritudinem, ad quam Adolescentum ætas est mollior, sensit olim sanctus Augustinus initio suæ ad Deum conuersionis, cùm in templo diuina audiret: ita enim de se ipso scribit. *Voces influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea exæstuabat inde affectus pietatis, & bene mihi erat cum eis.* Verùm quia dum alia alijs necto, abeo in immensum, hic ego abrumpo potius, quàm finio.

Lib. 2. de diuinat.

L. 9. Confess. c. 6.

ORA-

ORATIO.

Pro Religione in Deum impetranda.

IVbes Deus meus, Bonitas & Maiestas infinita, vt te amem, te colam: & nisi faciam, minaris, & quidem cruciatus perpetuos: an non satis magna pœna est, si te non amem & colam? nam si tibi seruire, regnare est, non seruire tibi seruile, imo flagitiosum est. Si verò te amare vita est, non amare te mors est, & quidem mors æterna. O Deus meus, Pater meus & Dominus meus, probrum istud mihi à te obijci nunquam audiam. Si Pater, vbi Amor meus? Si Dominus, vbi est honor meus? mihi cor esse nolo nisi vt amem te, mihi non corpus, non vitam opto; nisi vt colam te. Amem hîc te seriò, serò licet, ô Bonitas tam antiqua, & tam noua! hîc colam te, Maiestas tam immensa & tam munifica, vt amem & colam in Cælis per infinita sæcula. Amen.

PIETAS –
In Parentes et Magistros .. 20.

Nec sic Vmquam debita solues.

SYMBOLI EXPLICATIO.

Iterum vocaris in theatrum, Adolescens Academice, aër proscenium, sylua orchestra est, ni piget, etiam hanc comœdiam specta. Seria est actio pietatis in Parentes, ac Magistros.

Ciconiæ effœtos senio suos progenitores & plumarum defluxione frigentes pennis circùm iuniores fouent, conquisitoque cibo inuicem nutriunt. Vt merito, quod vni inter Imperatores Antonio concessum olim fuit Pij nomen, Ciconiæ omnes meritæ sint, piæque Aues audiant: neque hæ pietatis suæ fructu carent: nam cum senuerint, paria à suis obsequia experientur.

Quid ipsos Leones loquar? Androclus seruulus à Domino fugitans in Leonis speluncam sese abdiderat: eo sub noctem rediens Leo cruen-

cruentato à ſpina pede cum ſummiſsè acceſſiſſet medicam opem petijt: ille ſpinam eduxit, amicum viciſſim hoſpitium obtinuit, gratumque eſt expertus hoſpitem belluam, ab ea enim & congiarium accepit triduo, ac deinde cum ſe ambo capti in Circo Romano inopinatò reperiſſent, Leo veteri medico abblanditus ſtuporem primò ſpectatoribus mouit, mox miſericordiam. Ita Leone grato beneficus homo ſeruatus eſt. Beſtiæ ergo charitatem in parentes, gratitudinem in benefactores docent: pudeat non imitari aliquouſque: nam parentibus & Magiſtris benefactorum maximis par vt reddas aliquando, fieri non poteſt.

CA-

CAPVT QVINTVM.

Pietas in Parentes, ac Magiſtros.

MONITVM.

Parentes, & Magiſtros vt humanum, quoddam Numen habeto, quantâ par eſt obſeruantiâ, etſi par referre nequis, proſequitor.

SALOMON.

Vdi, Fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Prou. 1.

Filius ſapiens lætificat patrem: filius

lius vero stultus mæstitia est matris suæ. Prou. 10.

Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te. Prou 23.

Qui comessatores pascit confundit patrem suum. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Prou. 28.

Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infœlix. Prou. 19.

Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ. Prou. 30.

Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ & præcepta mea cor tuum custodiant. Longitudinem enim dierum & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Prouerb. 3.

MEN-

MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Parentis nomen præsefert diuinum quidpiam.

REligioni in Deum cognata est pietas in parentes. Quos nescio quid affine habere cum dijs immortalibus, esseque debere filijs pro humano Numine multi censuerunt. Certè (quod maximè diuinum est) nati à suis progenitoribus vitam accipiunt, ab ijsdem quoque educantur, aluntur, reguntur. Quas ob causas hi in illos Regiam (vt Aristoteles docet) potestatem vsurpãt, iuraque habent vt vitæ, ita propemodum necis; nisi hoc vltimum ita sibi Deus reseruasset, vt idem summus vitæ Author, mortisque arbiter supremus haberetur. Ac parentibus quidem diuinitatem, aras, sacerdotes, simulachra, non

In Eth.

non modò qui ſapientiæ nomen obtinuerunt apud antiquitatem, ſed gentes nationeſque integræ tribuerunt. Hieronis Philoſophi hoc fuit dogma apud Stobæum. *Si quis parentes ſecundos ac terreſtres quoſdam Deos dixerit, non errabit, cùm nobis propter vicinitatem, vel ipſis dijs viciniores ſint.* Deinde hæc ſubdit. *Si igitur in promptu habeamus quibus officijs erga parentes obſtringamur; Summariam hanc ſententiam ſemper animo verſare oportet, quòd parentes nobis Deorum imagines ſint, & per Iovem dij lares pſeudo myſtici beneficiorum authores, cognati, creditores, domini & amici conſtantiſſimi. Sunt enim Deorum imagines certiſſimæ, nam ſimilitudinem eorum nobis referunt melius quàm vllius artis facultas exprimere poſſit, cùm tanquam dij domus patroni, & nobis familiares ſint.* Denique adijcit, quod ex ijs, quod dixerat conſequebatur, nempe *Filios exiſtimare debere ſe in domo paternâ, veluti in fano quodam Æditnos & Sacerdotes ab ipsâ naturâ conſecratos eſſe: vt parentum cultui operam darent.* Ita iſte ex antiquâ Scholâ Philoſophus. Iam quid Schytæ Iſſionides? hi teſte Herodoto, tanquam Deos, puta Medioxumos, parentes ſuos colunt: patris enim caput inauratum adorant pro ſimulachro, illudque

Lib. 10.

ludque solennibus & annuis sacrificijs venerantur. Pisidæ non abscedunt procul: hi enim, quod Nicolaus Damascenus prodit, in suis conuiuijs primitias libant parentibus tanquam Dijs minoribus: Nasomones ad parentum sepulchra oracula captabant, vt legitur apud Tertullianum, siue ad reuerentiam functis habendam, siue quòd rerum futurarum cognitionem tanquam Numinibus eis attribuerent. Errarunt quidem illi omnes; sed prope laudabili errore, quòd si quos esse mortales Deos credendum foret; illos imprimis sibi esse debere Deorum loco arbitrarentur, à quibus lucis huius vsuram, commodaque recepissent, mallentque nimia pietate, quàm desertione turpissimâ officij delinquere. Prodigij instar est illud, quod extraordinario honore fuit olim filiorũ erga parentes pietati diuinitus delatum, cùm scilicet naturâ attonitâ è cælo acclamatum est quodam modo *pietati cedite flammæ*. Res ita se habuit vti ego nunc ex Pausania recito. Cæteris aurum & argentum ex Æthnæi ignis irruptione in tutum efferentibus, Anapias & Amphinomus parentem ipsi senem honoris, debitæque obseruantiæ causâ in humeros sublatum exportarunt.

Li. de anim.

runt. Tantæ virtuti cessit ferocis elementi natura facta clementior; voracesque flammæ in reliquorum perniciem armatæ, vt viam pijs liberis darent, in duas se partes diuisere: quin & locus omnis eorum peragratus passibus cirtumquaque instar amœnæ Insulæ effloruit; cùm omnia aut truculento obsessa incendio, aut fuligine deturpata essent. Diceres Deum ipsum portento ostentoque deferre voluisse honorem ijs, qui ante ipsius vicarijs, parentibus inquam, detulissent.

§. II.

Præceptum de honorandis parentibus.

QVid verò nos causæ fuisse existimamus, vt descriptis in vna tabularum Mosaicarum parte ijs legibus, quę ad Religionem Numinis sacerrimam attinerent: mox è regione inter ea pręcepta, quę ad hominum iura spectarent primum in altera parte locum parentibus dari supremus legislator voluerit, nisi, vt intelligeremus inter homines, tanquã mortales quosdam Deos haberi eos oportere qui nos genuissent? eisque

eiſque ſumma ſecundum Numen deberi omnia. Quare grauiſſima etiam ſupplicia legis iſtius violatoribus ſunt conſtituta: quemadmodum maxima præmia ijs, qui eam ſeruarent, decreta: & quidem illis conſtitutum, vt vita citò abriperetur, neque omninò niſi miſeri & infelices viuerent: his conceſſum vt longum æuum ducerent, illudque bonis diffluens, ac beatum: *Vt ſis* (inquit lex diuina) *longæuus ſuper terram & vt tibi bene ſit.* Iuuenes longam vitam amant; promittitur æternitas: nemo vult eſſe miſer; addicitur felicitas. Nihil verò decerni poſſet æquius, quàm vt qui gratum ſe exhibuerit ei, à quo vitam eſt mutuatus, vitam viuat & longam & felicem: qui eos læſerit, à quibus, vt homo eſſet, accepit, iactetur ille primum miſer & infelix; tum verò tãquam horrendum naturę monſtrum ac portentũ, è medio tollatur citiſſimè. Accedat huc optimus diuinæ illius legis interpres Cyrillus Alexandrinus, *Quòd parens*, inquit, *res ſanctiſſima inter omnes Nationes habeatur, lex quoque diuina præclarè docebit, quæ cùm iuſſiſſet Deum vnum ex toto animo, & toto corde oportere diligere, hoc etiam addidit, honora patrem tuum & matrem tuam; vt bene tibi ſit: parentes enim* Lib. 9. in Gen.

imaginem Dei quotidie gerunt. Neque verò eam humanum genus legem tum primùm audiuit ferri, cùm in monte Sina publicata est, aut in Mosis tabulis fixa; sed iam pridem antea nos cum ipsa ratione à naturâ inditam atque impressam hauseramus: inde enim extitere ista veluti naturæ ipsius placita atque Senatus consulta: Parentes honora, apud Pythagoram; Γονέας αἰδοῦ. i. Parentes venerare, quod est Pittaci vnius ex septem Græciæ sapientibus dictum: Platonis verò è libris decerptum quod sequitur, dignum est, quod Christianorum domibus, imò templorum ianuis inscribatur. *Æstimandum est* (inquit diuinus ille homo) *nullum apud Deos magis honorandum simulachrum nos habere debere, quàm parentes & auos ætate confectos, matresq; similiter: quibus honoratis Deus gaudet.* Adiungamus è Lycæo Stagiritam Platonis discipulum. *Qui dubitat*, ait, *vtrum oporteat Deos venerari, aut parentes, non eget ratione: sed pari pœnâ.* Ergo non modò ille rationem esse huius officij ducem ac magistram docet; sed censet præterea propè par esse flagitium, pariqueobnoxios supplicio, qui Deos & qui parentes violarint. Dicat id etiam è suo suggestu Romanus Orator, *Parentes*, ait,

Libr. de leg.

1. Top.

ait, *charissimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita.* I nunc, Academice mi Adolescens, in Salomonis Gymnasium, & docentem audi. *Audi*, inquit ipse *fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem*, siue (vt septuaginta reddunt) *statuta & constitutiones Matris tuæ.*

Multa tibi Pater, plura etiam Mater & puero & Adolescente mandata dederunt, quibus ætatem tuam rudem illam atque in vitia præcipitem optimis moribus informarent: plurima verò præceperunt, cùm è domo paternâ in Academiam ducerent, Deum vt timeres, & amares; vitares improborum consortiones, castè, sobriéque victitares, nullam familiæ, nullam tibi labem inurerres: denique quem tu in finem, magno fortassis rei familiaris incommodo, abires scilicet in amplissimum omnis eruditionis Emporium: nauares vt operam diligentem ijs studijs, quibus applicareris: expectare se ex te vno non modò honores in familiam inuehendos: sed augendas etiam opes, certè senectutis suæ oportunum aliquando solatium. Nunc vt monitis istis pareas, admonet Salomon, & hortatricem rerum magnarum gloriam proponit: *Vt addatur,*

inquit, *gratia capiti tuo, & torques collo tuo:* coronã Lemniscatam spondet, patriciam bullam, victoriæ, ac nobilitatis insignia, amplissimos honores.

§. III.

Quid parentibus debeant Filij.

VErùm quia debere filios parentibus constat, quid sigillatim, quantumque debeant explicemus, vt partes illi suas norint, & verò agant. Atque imprimis (quod dicere occeperam) debent obedientiam, reuerentiam, honorem. Quare huc spectant ista præcepta. Parentibus morem gerito, neu obmurmurato, ijsdem deferto, caput detegito, assurgito; de via decedito, blandè & modestè alloquitor, prior salutato. Si quis contumelijs, conuicijsque prosciderit, arbori infelici suspendito, aut lapidibus impetito, grande piaculum est. Subscribunt SS. Patres; *Primus* (aiunt) *gradus pietatis est iste; vt quos authores tibi voluit esse Deus, honores obsequijs; abstineas contumelijs: sed nec vultu lædenda est pietas parentis, merentur cæcitatis supplicium, qui parentum vultus torua visu despexerint.* Verum de supplicijs paulo

Hier. ad c. 3. Eccles. Amb. l. 8. in Luc.

paulo post. *Honorabat* (ait S. Ambros.) *ipse Christus Iosephum & Mariam, non naturæ debito, sed pietatis officio. Honora ergo & tu parentes.* Addi poterat ex S. Luca, *& erat subditus illis.* Quem ista Dei hominis, honorem, obseruantiamque parentibus officiosè reddentis tam singularia exempla non moueant? In cap. 2. Lucæ.

Iam alterum liberis erga suos parẽtes debitũ natura imposuit: vt eos etiam timeant tanquam dominos; sed tamen potius reposcit, vt ament: est enim parentum nomen vox non tam dominij, quàm amicitiæ; vnde seruorum proprius timor est, amor filiorum. Tertium deinde ex duobus prioribus consequitur, vt liberi parentibus egentibus seruiant; operam ægris & afflictis opesque suas conferant, solentur, exigant, neque ijs saltem ea, quæ ad vestes, cibos, habitationem necessaria, sed ne quidem, quæ commoda sunt, vnquam deesse patiantur.

Vereor ne quem rubore suffundam, si quæ de Ciconijs, tum Basilius, tum Ambrosius sanctissimi viri scriptis tradidere, in medium proferam, exhibeamque spectandam mutorum animalium in suos progenitores pietatem veluti in theatrum. Agedum inducat in scenam In hexam.

suis ipse verbis Magnus Ambros. *Quàm verò rationabilium excedant pietatem Ciconiæ, experientiâ considerandum: nam depositos patris artus per longæuum senectutis, tegmine alarumq; remigio nudatos circumstans soboles pennis proprijs fouet. Et quid dicam? collato cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia: vt hinc atque inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra. Quis nostrum leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat? quod in ipsa historiâ vix credibile habetur, quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandet obsequium? at verò auibus non est graue, quod pietatis est plenum: non est onerosum, quod soluitur naturæ debito: est enim vectura pietatis: quod eousque frequenti testificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu pia auis vocatur: habet etiam vniuersorum suffragia; nam retributio beneficiorũ ἀντιπελάργωσις vocatur: πέλαργος enim Ciconia dicitur. Virtus itaque ab ijs nomen accepit, cum relatio gratiarum Ciconiæ vocabulo nuncupatur.* Hanc verò (vt ita loquar) Reciconiationẽ Seneca disputans, vtrum liberi parem gratiam referre possint, eleganti hac oratione exag-

exaggerat. *Nullâ vi verborum, nullâ ingenij facultate exprimi potest, quantum opus sit, quàm laudabile, quamque nunquam à memoria hominum exiturum, posse hoc dicere, parentibus meis parui, cessi, imperio eorum obsequentem, submissumq; me prabui: Ad hoc vnum contumax fui, ne beneficijs vincerer*: tum ita declamitat. *Certate, obsecro, vos: fusi quoque restituite aciem; felices, qui vicerint, felices qui vincentur. Quid eo Adolescente praclarius, qui sibi dicere potuit (neque enim fas est alteri dicere) parentem meum beneficijs vici? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus vbique pradicet, à filio suo se beneficijs victum?* Quamquam ne superior sit filius, nihil ego formidandum videam. Rectè enim ille quem superius laudaui Hierocles, *Quantumcunque multam in parentum gratiam fecerimus: semper tamen inferiora erũt omnia.* Quid ad hæc, mi Academice Adolescens? nam in te vno iam pridem intueor, an intelligis quantopere tibi curandum sit, ne non modò Ciconijs, sed ne cæteris auibus, imo feris ipsis videare deterior, vt parentibus tuis, senibus præsertim, adminiculo esse studeas, honori, solatio? At mihi crede nullâ re magis eorum sudores, lachrymas, curas aut deterges, aut compensa-

bis, quàm si probus ac sapiens euadas: nam si improbus fueris, si insipiens eos suffocas crudeli parricidio, iugulas, perimis. En habe iterũ Salomonem. *Filius sapiens lætificat patrem; filius verò stultus mœstitia est matris suæ. Exultat gaudio pater iusti, qui sapientem genuit, exultat in eo.* Nimirum ad se tuos mores, tuamque eruditionem pertinere illi existimant: quòd ab ijs qui recte ratiocinantur, illi probi quoque ac sapientes videantur, à quibus filij naturam, ingenium, memoriam, indolemque acceperint. Siquidem (quod Lyricus cecinit)

Horat. *Fortes creantur fortibus, & bonis*
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Deinde (vt ipsi naturæ dotes tam præclaras atque ad virtutem, scientiamque factas, minimè fortassis habuerint) credunt tamen sibi deberi educationis institutionisque curam, & (vt nihil ne in ista quidem contulerint) tamen minimè ignorant, se in filijs esse & vincere: atque necessariò illis felicibus ac honoratis non minimam in se boni, lætitiæque partem deriuari.

Igitur id age, quod monere Salomon pergit. *Gaudeat pater tuus, & mater tua, & ex-*

& exultet: Certè non gaudebunt, minusque lætitiâ gestient, si studijs rerum honestiorum abiectis pro schola popinas, pro libris Scyphos, & Cyathos cum Græculis Helluonibus vsurpes: si non modò tempus, sed rem præterea familiarem diurnis, nocturnisque comessationibus decoquas: nam *qui comessatores pascit, confundit patrem suum*, æque, aut multo magis, matrem. Quadrat huc etiam, quod sequitur.

Qui subtrahit aliquid à patre & à matre; & postea dicit non est peccatum, particeps homicidæ est. Qui parentes (inquit) suos ijs officijs atque obsequijs, quorum est debitor, defraudat, neque id sibi vitio vertit, grauiter peccat, & turpiter fallitur: nam cum homicidio par esse potest istud flagitium. Certè non minori supplicio luendum, quàm quo puniuntur homicidæ, pœnâ capitis: quamquam eodem versu Salomon etiam impetit eos & criminis accersit, qui pecunias, id est, plerumque sudores & sanguinem parentum, in poculis & compotationibus absumunt tantâ animi hebetudine atque amentiâ: vt, quia bona sunt parentum, quæ abliguriunt, aut dilapidant, putent sua esse; neque furti ob istud crimen argui, neque ad facien-

dam

dam cohæredibus restitutionem se obstringi posse: cum tamen eorũ flagitium sit par cum sicarijs, & ijs, qui latrocinia exercent, imò maius: quia hi exteros aggrediuntur, isti suos etiam progenitores vel bonorum decoctione, vel allati doloris sensu excarnificant, & tandem conficiunt: vt quæ iam expectanda sint tam palmaris nequitiæ supplicia omnes facile videant.

§. IV.

Supplicia impiorum filiorum.

ATqui in supplicijs istud primum, statimque occurrit è Salomone: *Qui affligit patrem & fugat matrem ignominiosus & infelix*. Vita igitur primùm ab impijs filijs trahitur infamiæ, & infœlicitatis plenissima, iam enim illi à Deo ipso diris ac maledictis pridem sunt ad mortem damnati: tum verò properata violentaque mors sequitur, atque ita quos natura dedisset annos, flagitium magnâ parte præcidit. Atque hoc est alterum supplicij genus. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.* Lapidationis

Prouerb. c. 30.

dationis pœnam alibi etiam legimus. Verùm nescio an non magis suspendium isti culpæ conueniat, nam vel oculo læsisse parentum pietatem, toruo vultu aspexisse, leuibus sannis excepisse patibulare est flagitium: & non erit vel linguam non abstinuisse à maledictis, vel manus à scelere? Ad furcam, ad malam crucem, ad coruos, impiè Adolescens: ecce iam illi à Salomone corui immissi in oculos immites, quibus pro delicijs vescuntur, è torrentibus, vbi se oblectare solent agminatim inuolant, iam iamque tibi lumina confixuri: aduolitant cateruatim cum Coruis carniuori Aquilarum pulli, iam iamque ex alto decidunt, præcipitantque in prædam, nisi impietatem abijcis. Est profecto iustissimum istud capitalis sententię genus: vt impiæ in suos quoque volucres, de impijs filijs, ijsdemq; in parentes crudelibus, sæuum, & atrox supplicium reposcant, sumantque. Istud verò quoties visum, & quàm quotidianum? vt qui parentum iussa contempserint, domo primùm, curâque paternâ exeant, tum incidant in homines improbos, latrones, sicarios, homicidas; quo fiat tandem, vt in vincula trahantur, atque inde ad furcam. Singulare & nouum in

hoc

Serm. 21. Quadrag. hoc genere quod S. Bernardinus his verbis commemorat. Nostrâ ætate in Hispaniæ citerioris oppido, cui nomen Sui, non procul Valentiâ, Adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eo deuenerat: vt anno 18. propter latrocinia & publica facinora in vincula coniectus & suspendio damnatus sit, etiam tunc prorsus imberbis: pendenti verò iam atque exanimi facto prorupit barba: moxque spectante populo, tum illa, tum comæ capitis planè canescunt: vt ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo accitus cum populo & cum toto clero accurrit Episcopus, omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat Deus quid sibi monstrum hoc velit. Atque ecce tibi Episcopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait; voluit Deus ostendere quantum de vita ijs detrahatur, qui de parentum obedientia detraxerint: Victurum enim fuisse hunc iuuenem ad eam ætatem, quæ tum apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset.

Ac parentibus quidem ista, quæ attuli, officia vniuersim tribui debent: sed tamen in matres præsertim, & tunc quidem maximè, si viduæ sint, pietas filio-

filiorum haberi & commendari debet. Tum quod propter sexus imbecillitatem magis contemnantur; &, si maritis orbatæ fuerint, magis potentium maleuolorumque iniurijs pateant: tum verò, quod nomen matris doloris cruciatuum, curarumq; sit plenissimum, denique & quod matribus, quàm patribus, liberi cariùs constiterint. Quare sapientissima fuit ista Tobię senioris ad filium testamenti nomine admonitio: *Cùm acceperit Deus animam meam corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim esse debes quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Quanta sit in ea re vis norunt scilicet ipsæ matres; quæ cùm potenter à filijs obtinere quidpiam contendunt, eo velut amento telum armant. Ego te, fili, in vtero portaui, ego te alui, ego te in sinu foui: in quo argumento, cùm eam, quâ pollent, eloquentiam adhibuerint, Coriolanos, Alexandros, Hercules ipsos expugnant. Vsa est hâc etiam emphaticâ olim oratione fortissima illa Machabęorum fratrum parens, vt ex natis minimũ ad Antiochi crudelitatem contẽnendam fortiter animaret, *Fili mi* (hæ enim fuere eius lachrymæ) *miserere mei, quæ te in vtero nouẽ mensi-*

Tob. c. 4.

L. 2. c. 7.

mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto, nate, vt aspicias ad cælũ & terrã, & ad omnia quæ in eis sunt &c. Sed nescio an non significantiùs, quàm vel ipsæ matres exprimere possint, rem hanc omnem S. Ambrosius repræsentarit: nam cum hæc dixisset. *Disce quid parentibus debeas, matri,* ait, *debes partus periculum, matri longa dispendia, discrimina, cui miseræ in ipsis votorum fructibus maius periculum est, & cum ediderit, quod optauit, partu absoluitur non timore: quid anxios patres loquar? pro filiorum profectu multiplicatos alienis vsibus census, iactaq́; agricolæ semina præsentibus ætatibus profutura.* Deinde ad matrum particulares causas acrior redit. *Pasce,* inquit, *matrem tuam, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos propter te passa est, non reddidisti obsequia, quibus illa te gestauit, non reddidisti alimenta, quę tribuit tenero pietatis affectu immulgens labris tuis vbera, non reddidisti famem, quam illa pro te tolerauit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederetur, ne quid, quod lacti noceret, hauriret, tibi illa ieiunauit, tibi manducauit: tibi illa, quem voluit cibum, non accepit, tibi quem noluit sumpsit, tibi vigilauit, tibi fleuit & tu illam egere pateris?* quàm te momordisset & vulnerasset

Lib. 2. in Luc.

Ambros.

Ambroſ. ſi eos etiam ſtimulos infixiſſet? Tu eam mœſtitiâ confodis? tu iniecto doloris pugione contrucidas? Non inſcitè Syneſius matrum ſolicitudinem cum Numinis prouidentia comparans, *Patres*, ait, *res tantum modò magnas, & præcipuas curant, quæ ad filios pertinent: Matres verò tam de minimis, quàm etiam de maximis mirâ ſolicitudine ſatagunt, quod diuinæ prouidentiæ proprium eſt.* L. 1. de prouid.

Quibus ex rebus nemo non intelligit, vt plura filij matribus debent: ita grauiùs delinquere, ſi in eas officio peccent. Atque hinc fieri opinor, vt commiſſa in matres peccata, præſertim cùm maritis orbæ fuerint, grauiùs à Deo vindice, acerbiuſque puniantur: nimirum, quòd is ſpecialiter, vt pupillorum, ita viduarum atque imbecillium matrum patrocinia defenſionemque, ne iniurijs potentiorum opprimãtur, imò & vindictam, ſibi ſumpſerit.

Adoleſcentes duo indulgentius à teneris habiti poſtea eò audaciæ & nequitiæ venere: vt in ipſam parentem impias manus tollere, verberibuſq; etiam tundere non vererentur; Tam notandum ſcelus illa deteſtata genibus procumbens, humumque manibus pulſans Sur. 25. Martij.

furias,

furias ex orco in vltionem lanienamque filiorum euocat: & ecce mox ambo illi perditi fratres à Cacodæmonibus dirè obsessi, inque mutuam cædem incensi, non secus quàm rabidi canes in se inuicem dentibus sęuiunt, fœdeque dilaniant: donec S. Zenobij meritis pulsis tartareis hostibus, ira simul, rabiesque conquieuere. Omitto eiusdem generis argumenta alia plurima.

§. V.

Quantum discipuli Magistris debeant.

VEniunt nunc ordine suo Magistri, quasi altori parentes, quibus discipuli non minus, forte etiam plusculum debent, quàm filij suis parentibus: quare quæ hactenus de obedientiâ, obseruantiâ, timore, amore, aliisque obsequiis dicta sunt, huc quoque pertinent. Aristotelis non vno loco dogma est, Diis, parentibus, Magistris æqualia rependi non posse. Istud verò Alexandri Magni iudicium vulgò iam percrebuit: qui rogatus vtrum mallet Philippum Patrem, an Aristotelem Præceptorem? Aristotelem se malle respondit, ratio-

rationemque à re ipsa eam subiecit; Ille enim vt essem, hic autem, vt præclarè institutus essem, auctor fuit: pluris ille æstimabat probum hominem, eruditumque euadere, quam omnino esse, si bonâ institutione careret. Quare sapienter Basilius Imperator sibi facere visus est, si filio quem genuerat (quod alij etiam patres fecerunt) præceptiones scriberet, quibus in omnem vitam optimis moribus eum informaret; ne eam sibi laudem, quam ampliorem existimabat, Magister alius parenti surriperet: vtque bis vnus ipse filij parens esset, semel (si ita loquendum est) animi. Certè animum, diuinæ illam particulam auræ (vt Poëta appellauit) scientiæ ac virtutis capacem progignunt quodammodò Pædagogi & Magistri, nobisque veluti inserunt, dum litterarum virtutumque formis, atque pulcherrimis imaginibus expoliunt atque exornant. Hebræi Magistros linguâ suâ Auoth, id est, Patres, appellandos esse censuerunt: ipseque sapiens, qui adolescentiæ instructionem, institutionemque suscepisset, passim, in eo libro, quem ad eum finem composuerat, Adolescentem filium, se patrem, imò & matrem nominat. Plurima sunt huius generis in Salomone

In Prouerb.

lomone exempla: è quibus luculentum est illud. *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Quo loco haud factum arbitror, absque speciali Numinis instinctu; vt cum à discipulo tamquam à filio obedientiam, obseruantiamque deposceret, eadem planè proposuerit præstiti officij præmia, quæ alibi sacræ litteræ decernunt obsequentibus liberis, longæuitatem, & pacem: id est (vt Hebraicæ vocis vim explicem) summam rerum omnium felicitatem: sunt qui eodem illam Salomonis quoque parœmiam, *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo,* quam paulo ante parentibus tribuimus, Præceptoribus accommodent, dicantque, eò plus deberi Magistris quàm Progenitoribus, quod illi non tantum patres sint, sed ijdem etiam matres: atque adeò cum filij honor, amorque diuisus sit partim in patrem, partim in matrem, singulis minus impendi: in Magistrum cùm vniuersus confluat, esse longè impensiorem. Certè Apostolus Paulus cùm patrem se eorum, quos Christianis mysterijs instituisset, non obscu-

rè

rè appellauerit, matrem se etiam his verbis est aliquando professus. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*, quibus se lac quoque tanquam adhuc infantibus dedisse affirmat. Gal. 4.

Vtinam ista, mi Adolescens Academice, Tu, tuæque ætatis reliqui tecum animo sæpius seriò expenderent, haberent profectò altiori loco, atque maiori in pretio, quos si non Deorum ritu (quam venerationem Seneca suis præceptoribus se debere aiebat) saltem parentum modo colendos esse didicissent. Admoneamus nunc exempla eorum, qui præclaram ad hanc virtutem alijs viam sternant.

Hippocrates medicinæ Princeps sceletum æneum Apollini Delphico, medicorum quasi Magistro, vt gratiam referret, dedicauit. Antoninus plus fecit, Magistrorum suorum imagines aureas domi adseruabat religiosè: eorum verò sepulchra floribus etiam adspergebat. Gratianus Valentiniani filius Antonium præceptorem, vt gratus esset Consulem dixit, extantque illius adhuc literæ in Galliam scriptæ. Cum de Consulibus in annum creandis mecum solus volutarem, vt me nosti, atque vt fa-

cere debui, & te velle sciui, Consulem designaui, declaraui, & priorem nuncupaui, Trabeam palmatam tibi misi, in quâ D. Constantinus pater noster intextus est: solui, quod debui, & adhuc debeo quod solui. Duos nunc habe magnos viros. Senecam Philosophum & Romanum Oratorem. *Præceptor*, inquit Seneca, *in docendo laborem & tædium tulit præter ea, quæ percipientibus in commune dicuntur, aliqua instillauit ac tradidit: hortando bonam indolem vexit, & modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus discussit desidiam: tum ingenium latens & pigrum iniectâ (vt ita dicam) manu extraxit; nec quæ sciebat malignè dispensauit, quo diutius esset necessarius: sed cupijt, si posset, vniuersa transfundere: ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Accedit huc Cicero, *Quis est*, ait, *nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque Doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse altus & doctus est, cum grata recordatione in mente versetur?* tum subdit. *Equidem nil tam proprium homini existimo, quam non modò beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari: nihil porrò tam inhumanum, tam ferum, quam committere, vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Quis non etu-*

L. 6. de benef. c. 16.

Orat. pro Cn. Plancio.

erubescat, ait S. Ambros. *gratiam de se bene meritis referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati?* Audiant robustum istud Eloquentiæ tum Ciceronianæ, tum Ambrosianæ fulmen iuuenes illi, qui humanitate exutâ, omniumque animalium ingratissimi, cum in scholis adhuc versentur, aut iam pedem extulerint, præsertim si iam dignitate vel authoritate ipsi polleant, non modò nõ Magistris gratiam referũt repẽdunt-vè, sed Mulorum instar in suos recalcitrant (quam Platonis de Aristotele querimoniam fuisse tradunt) eosque conuitijs, calumnijs, probrisque indignissimè proscindunt: quibus nihil habeo, quod acerbius faciam, quam vt ad Leonum Scholas amandem, gratitudinem à ferarum ferocissimis edocendos.

Beatus Abbas Gerasimus (alij id Hieron. nominis similitudine decepti adscribunt) Gerasimus Leoni spinam è pede euulserat: gratus Leo, quamdiu benefactor vixit à Cœnobio, famulitioque obsequio non recessit: eo mortuo lucem pertæsus, senisque sepulchro incumbens ibidem vitam posuit. Historiam (vt in re noua nouo verbo vtar) miriorem narrat ex Appione polyhistoriæ Aulus Gellius. Apud Busæ. L. 5. c. 14.

Cùm Androclus ſeruus à Domino fugitans in altam ſpecum ſe abdidiſſet intra denſum nemus: eodem paulò pòſt Leo læſus venit, debili & cruento pede; nouum cauernę ſuæ hoſpitem, commodè nactus, ad eum mitis manſuetuſque accedit, ſublatum pedem oſtendit, quaſi opis petendæ gratiâ: hic firmato à metu animo aperire vulnus, hærentem altè ſpinam quęrere, repertam euellere, ſaniem exprimere, ſiccare, detergere cruorem, medicari: iſte abblandiri, & quaſi gratiam pro gratia repromittere: neque fefellit. Nam toto triduo ſeruum transfugam in iſto ſuo hoſpitio ex venatione nutriuiſſe traditur. Verùm ferinæ vitæ pertæſus Androclus egreditur, & alterum triduum viæ confecerat, cùm ecce in milites incidit & ex Africa Romam retractus redditur Domino, qui mancipium damnatum ablegat ad beſtias: eodem ferè tempore captus leo in circum venerat; Exponitur huic bono hoſpiti ſeruus. Leo recognoſcit, abblanditur, demulcet familiariſſimè, aliquam ſcilicet in tempore gratiam repenſurus ſuo medico. Spectabat hęc populus, ſtupent omnes, Cęſar Androclum iubet propiùs ad ſe venire, cauſamque ex eo omnem cùm audiuiſſet

vtrumq;

vtrumque abire circo imperat. Ergo Androclus tenui licio Leonem reuinctum in vrbe ducebat circa tabernas, ære passim donabant seruum ciues, bestiam floribus spargebant: acclamabant interim quique obuij, *Hic est leonis medicus, hic est leo hospes hominis.* Tu quisquis hęc audis, viue benefactori gratus, aut ingratus morere.

Vocat nunc ex ista digressiuncula ad se nostræ Societ. imò totius Germaniæ magnum lumen Canisius, quem tanquam pro insigni coronide in capitis huius absolutionem consultò reseruabam.

Coloniam Agrippinam profectus hic Adolescens Doctorem ac Magistrum habuit Nicolaum Æschium probum Sacerdotem, cui viro innocentia Canisij singulari studio in primis annis conseruata plurimùm debet; at neque hoc quidem vel tacuit, vel obliuioni dari permisit Canisius. Nam & præceptorem illum suum ad posterorum memoriam cum amplissimâ commendatione transmisit, & quibus potuit officijs est, quamdiu vixit, pijssimè prosecutus. Placet ipsum Canisium è libro Confessionum, quem ad S. Augustin. imitationem de se conscripsit, loquen-

tem audire: vt habeat Adolescens meus Academicus expressum tum optimi discipuli, tum grati erga Magistros suos animi, officijque exemplar.

Cæterum, inquit, *vt ad præceptorem, imò ad patrem Æschium reuertar. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui talem tribuit tibi ad pietatem Magistrum, & hortatorem quotidianum; vt qui non mea, sed me, salutemq; meam amaret, & curaret sedulo. Hoc ipso Duce displicebam mihi paulatim, vt rectiùs placerem tibi, Deus, quem adhuc parum cognoscebam, minusq; timebam in illo flore iuuentutis. Illius consilia, mores, exempla nouam velut lucem inferebant oculis, & auribus meis. Illius authoritate frangebam & comprimebam præcipites motus, ac vanos ardores Adolescentiæ. Illius familiaritate contentus reliquas necessitudines & sodalitates ferè negligebam. Nullus (quod sciam) fuit mihi tum carior aut coniunctior, tantumq; illius iudicio tribuebam, quantum à filio pater desideraret. Neque solùm in confessione secretâ me totum illi, & sæpe quidem aperiebam: Verùm etiam priusquam nocte cubitum discederem, exponebam illi familiari colloquio, (tanta erat fiducia) lapsus, ineptias, & sordes animæ meæ, vt illi iudici rationem erratorum ac transactæ diei*

reddi-

redderem: ac si vellet etiam, peccatorum aliquam luerem pœnitentiam. Agnosco, & reuerenter laudo misericordiam tuam, quæ semper, & vbique vias meas prosperabat, O custos hominum fidelis, & protector vitæ meæ Deus; hunc virum Coloniæ, velut alterum Ananiam ad me instituendum, tibique propiùs coniungendum (vt arbitror) mirâ prouidentiæ tuæ lege destinasti. Igitur ille pro me sollicitus pergebat esse, precabatur, flebat, benedicebat, præmonebat, vrgebat, atque scribebat. Et cùm aliquando ab illo abessem diutius, iamque in patriâ mihi plusculùm indulgerem, ac laxiorem vitam complexurus viderer, per illum ipsum ad me tum venientem, veluti dormientem filium, excitasti, & lapsurum erexisti, & imbecillem ad te reuocatum illius curâ, & operâ in via tua confirmasti. Pungebat cor meum; cùm ex illo audirem, & discerem eiusmodi sententias Seruire Deo regnare est. Sola salus seruire Deo, sunt cætera fraudes. Si Christum bene scis, satis est; si cætera nescis. Idem prudenter hoc agebat, vt quotidie caput ex Euangelijs vnum legerem, & ex eo sententiam illustrem eodẽ die meditandam exscriberem, memoriâque tenerem. Accedebat & alia piorum authorum lectio, per quæ de timore, & amore tuo me commonuisti His atque etiam pluribus ibi Canisius, tum pręclara

sui

ſui Magiſtri deprædicatione, tum precum ſuarum ſolutione aliqua, gratè saltem ſuæ in illum voluntatis ſignificationem, propenſionemque exhibebat. Habes in vno illo pijſſimo iuuene, mi Academice Adoleſcens, quem in pari causâ, pari ſaltem ſtudio imitere.

ORATIO.

DEus meus, præcipis, vt ſecundum te parentes quoque & Magiſtros amem, colam, obſeruem, & niſi faciam graui etiam propoſito ſupplicio minaris: tam impius ſim, vt (quod beſtiæ quoque refugiunt) progenitoribus, maioribuſque meis pietatis officia denegem? neque tamen perficere id poſſum ſine te: da igitur mihi gratiam, vt ijs debitam obedientiam, honorem, & obſequia deferam exemplo filij tui Domini mei IESV CHRISTI, quem Ioſepho nutritio, & Virgini parenti ſubditum fuiſſe legimus. vt eum imitatus merear eam mercedem conſequi, quam parentum cultoribus promiſiſti. Peto, Domine, vt mihi bene ſit, ſimque longæuus ſuper terram, non hanc lachrymarum vallem,

vallem, terramque morientium: sed terram illam viuentium ac beatorum, quam precipuè in cælo reseruas, & daturus es eis, qui hîc superiores suos honorarint. Per eundum Christum Dominum. Amen.

SYM-

Prudentia, et sinceritas
In Vitæ genere deligendo. 21.
Simpliciter.
Prudenter.
Respice finem.

SYMBOLI EXPLICATIO.

Quæ ferè Alphabetum Græcum claudit, Pythagoræ litera initium esse debet vitæ ad Numinis voluntatem exigendæ: vt in annis hisce maturioribus, mi Academice Adolescens, eminus saltem collimes in scopum, quem tangere aliquando debeas: turpissimus hic grauissimusque error continget, si vel à scopo, vel à collimatione in scopum deflexeris.

Herculis somnium vides duplicem callem, vnum virtutis, voluptatis alterum; hinc Iuuenem magnæ indolis honestas inuitabat, molestiæ retardabant: inde ad se illecebræ pertrahebant, turpitudo tamen deterrebat: in virtutis tandem partes adhibitâ seriâ consultatione concessit. Idem euenit in deligenda vitæ laxioris, strictiorisue ratione.

Vtraque

Vtraque aliquid oſtentat, quo aduocet, quo auocet. Maturo conſilio hic opus, ſi alias.

Chriſtianus te aliquis Salomon, imò pluſquam Salomon Chriſtus monet: vt in hac re grauiſſima ſi quando alibi, ad ſimplicitatem columbinam, ſerpentinam calliditatem adiungas.

Apertum habes iter; hinc breuem roſam ad æternos ſentes: inde ſpinam breuem ad perennes roſas. Flige. quid hæres? Inferos ibi cogita, hic cælos. non primos aditus, ſed reſpice finem.

CAPVT SEXTVM ET VLTIMVM.

Prudentia in vitæ genere diligendo.

MONITVM.

In mundi, Christiné partes abeas decernito,
In curiam rationem prius aduocato, audito, tum concludito.

SALOMON.

EST via, quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. Prou.14 & 16.

RISUS dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Prou.14.

Cor

Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius. Prouerb. 16.

A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam? Prou. 20.

Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum. Prou. 3.

Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. Prouerb. 12.

Astutus, omnia agit cum consilio. Prouerb. 13.

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos: Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines ad dextram, neque ad sinistram: auerte pedem tuum à malo. Prou. 4.

MEN-

MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Quãti referat deliberare de vitæ ſtatu, & quando ea deliberatio ſuſcipienda.

MVlta quidem totius vitæ decurſu in deliberationem cadunt: Sed nihil eſſe poteſt, de quo conſultatio maturiùs, prudentiuſque ineunda ſit, quàm de ratione viuendi deligendâ: imprimis (ait Orator) conſtituendum eſt, quos nos, & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ, quæ deliberatio (inquit idem) eſt difficillima. Certè cęteræ electiones rerum ſunt particularium, & quarum error, ſi quis in delectu contigerit, faciliùs corrigi poteſt: vitæ verò agendæ inſtitutum infinitas actiones, functioneſque ſecum trahit, quæ ferè vniuerſæ aberrant, ſi in fine

vitæ totius constituendo semel peccatum sit. Deinde satis constat plurimos æternùm perijsse, qui se seruâssent, si aliud vitæ genus sibi desumpsissent, quàm quod temerè arripuerunt: Similiter multos æquè constat ad beatam æternitatem pertigisse, qui malè perijssent, si aliud viuendi genus inijssent, quàm quod reuerà susceperunt. Rem grauem, negotiumque magni ponderis esse oportet, ex quo æterna vel salus, vel infelicitas dependeat. Atque hinc istud consectarium est, turpiter prolabi eos, qui leuiter ferri se, & implicari sinunt in istud vitæ propositum, quod sors, occasiove obtulerit, nullo interim adhibito deliberationis maioris, electionisque studio: cùm ijdem tamen tantùm operæ, & laboris ponant, vt, si de fortunis, fama, honoribus, rebus sanè leuibus, & citò perituris decertandum sit, ne quid inconsultò, atque imprudenter egisse videantur.

Verùm statim hîc prima ista incidit quæstio: quâ ætate hoc negotium, quod tanti momenti est, suscipi debeat: citòne, an seriùs? primò liquet non esse eam deliberationem sponte in tardiores annos proijciendam; nam qui id agunt, qui meliorem partem nullo constituto

ſtituto fine plerumque perdunt, ac proſtituunt: neque rarò è vitæ ſtadio repentinis caſibus priùs ſubripiuntur, quàm de vitæ ratione certi quidpiam decreuerint. Porrò priuſquam de propoſitâ queſtione aliquid ſtatuam, refutabo nonnullos, qui generatim electionem vitæ religioſæ culpant in ijs, qui eam in primâ adoleſcentiâ adoriuntur, etſi iudicio viri prudentis à Deo ſe vocari ſentiant, & ſatis intelligant: aiunt iſti primò eam ętatem iudicio, vſuque rerum magiſtro carere, atque adeò, conſilijs iſtiuſmodi capiendis eſſe intempeſtiuam: deinde profuturum olim pluſculum de mũdo (vt ipſi loquuntur) pręguſtâſſe; ſiue vt perſpectâ ipſius fraude, ac mendacijs, in ipſius odium poſtea magis inardeſcant, ſiue vt de mundo loqui ex vſu ſuo poſſint: ſiue denique vt eorum aliquando mens non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcat. Addunt adhæc: ex ijs, qui à teneris religioſum inſtitutum aggreſſi ſunt, multos poſteà grandiores leuitatem carpſiſſe ſuam, aut etiam tam turpiter caſtra deſeruiſſe, quàm leuiter adiuerant. Verùm pugnãt iſta clariſſimè cum ſacrâ ſcripturâ, authoritate Sanctorum Patrum, & grauiſſimorum virorum exemplis. Nam pri-

Thren. 3. mò impugnatur locus ille: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentiâ suâ: sedebit, & tacebit solitarius, quia leuauit se super se*, quem scripturæ locum S. Thomas de suaui iugo vitæ religiosorum rectè interpretatur. Præterea cur Christus ipse pueros ab vnguiculis ad suum obsequium, ęterniique Patris cultum vocat, eosque, qui arcerent, graueter carpit, nisi vt intelligeremus, vti S. Ambrosius dixit, *Nullam esse regno Dei immaturam ætatem?* certè is, cui à Christo dictum. *Si vis perfectus esse &c. Vade, vende, veni, sequere me.* νεάνισκος, id est, adolescentulus erat. Sampson, Salomon, Nazaræi olim primum ęui sui florem diuino cultui dedicârunt; & è nostris Paulus, Antonius, Benedictus, Maurus, Placidus, Franciscus, Thomas de Aquino (qui, & quanti viri?) adolescentiam, aliqui etiam eorum, ipsam propè pueritiam religiosâ vitæ arctioris disciplinâ Deo consecrârunt. Victimas ex Mosaïca opimas, easque puras, & sine maculâ offerri in templo volebat, nos primæuos vitæ fructus numinis obsequio religiosè impendi reprehendemus? at nulla est ad religiosæ vitę initiationem, & auspicia, ætatis pars melior primis annis, cùm mens adhuc instar

Contr. retrahen. à relig. c. 3.

Marc. 10.

instar tabulæ rasæ, impressionibus vitæ castigatioris minimè obsistit; alioqui si errores inualuerint, si vitia iam dominentur, si è mundi legibus, prauisque consortionibus, & exemplis animus occaluerit, difficile subiectus incudi emollescet, rumpatque potiùs, quàm inflectas. Neque verò arduum est superiùs obiecta refutare: nam etsi ante pubertatem fortassis ætas minùs sit deliberationum, consiliorumque capax, tamen ante eam ætatem diuinis saltem luminibus, & inspirationibus inepta non est; imò haud scio propter simplicitatem, ac candorem, an non sit aptior: quare si prudentis viri iudicio à Deo doceri, mouerique, aut etiam trahi adolescentes deprehendantur, non modò impediendi non sunt, sed etiam laudandi: si enim anni ætatis 15. contrahendo matrimonij oneri pares sint, cur impares suscipiendæ religioni habeantur? quasi verò plus maturitatis, atque rationis requiri non debeat ad hoc, vt in mari tempestuoso ad scopulos adhærescere velis, quàm vt eligas in fidam stationem, aut portum ipsum, si fieri possit, temet, nauiculamque recipere. Nam istud alterum de mundi felle prægustando, quàm insulsum, & quàm homi-

nis parum ſapientis ingens argumentum? Plumbeo gladiolo, en tibi æneum ſcutum. *Facienda non ſunt mala, vt eueniant bona. Qui amat periculum, incidet.* Quàm multos prælibatum venenum enecauit? Satis ex alijs, qui experti ſunt, aut libris ſcriptis, cùm eo opus erit, diſcitur, quæ in mundo ſint fraudes, offuciæ, lites, miſeriæ, cruciatus.

Medicus vt ſis, aut Iuriſconſultus nihil neceſſe eſt te cum omnium morborum, aut litium generibus fuiſſe conflictatum. In hoc pugnandi campo tutiſſimè pugnat, qui nunquam victus eſt; quod experientiæ deeſt, auxilia diuina certiùs, tutiuſque ſuppeditabunt. At, qui leuiter ingreſſi ſunt, aut poſtea gemunt ſub pondere, aut turpiter diffugiunt. Primò non probo eos, qui leuiter ſunt in arenam ingreſſi: poſſunt autem etiam pueri aut adoleſcentuli multò magis iam adoleſcentiores ſigna clara, & probi viri iudicio probata habere ſuæ vocationis: Deinde vſus quotidianus docet plures eſſe qui lugeant, quòd ſeriùs, & non niſi poſt longos in ventoſo, ſaxoſoque mari errores ſeſe in tutum dederint; nemo enim non malit naue integrâ ſe exijſſe, quàm poſt triſte animæ ipſius naufragium fœdamque

plurij

plurimorum bonorum iacturam. Quare sic tandem statuo, si antea consulto, ac prudenter nondum delegerit certum vitæ instituendæ genus, aut in suo priori proposito hęsitet, aut etiam cespitet, Academicum meum Adolescentem saltem in cursu Philosophico, priusquam ad aliud literarum studium animum, seq; applicet, oportere consultationem, qua de re agimus, serio inire, captisque in omnem partem consiliis prudenter statuere, quam in posterum totâ vitâ constituere velit vitæ suæ rationem. Nam & istud tempus ferè est ætatis vigentis, & ingenij viuacioris, atque ad captanda consilia aptioris, & fortasse Philosophiæ peracto cursu, ars, disciplinave illa siue Theologia, siue Iurisprudentia, siue Medicina, adiretur, quæ instituto vitæ minus consentiret. Nam vitam sæcularem sectaturo quid Theologia conducet? aut quid duæ illæ aliæ scientiæ, Iuris aut Medicinæ amplexuro vitam religiosam? Finis igitur priùs certus constituatur, quò erit istis nouis studijs collimandum.

§. II.

Qui ad hanc consultationem, & consilium minimè sint aduocandi.

POrrò repellendi primùm ab hâc in vitę delectu consultatione tanquam inidonei, aduocati, & causidici, homines illi, quos Apostolus animales appellat, qui scilicet non sapiunt ea, quæ sunt spiritus, & Dei. Quo in genere si sint parentes, consanguinei, amici, eò minùs erunt adhibendi, vel audiendi, quòd eos occupet vel error varius circa res in disceptationem vocandas, vel nimius in suos, suaque affectus in transuersum agat. Controuersia potissima est sæcularis, an Religiosus status tibi amplectendus sit? permanendum in præceptis, an progrediendum ad Christi consilia? illi Religionis rerum cum rudes sint, atque inexperti, quomodo sana consilia suggerent? imò qua ratione omninò poterunt, cùm plerique in eo negotio turpissimè à vero aberrent, peruerseque sentiant? paupertatem hominum Religiosorum vilium hominum esse conditionem, castimoniam genus stultitiæ, obedientiæ iugum minùs ingenuam

1. Corint. 2.

genuam ſeruitutem; contrà mũdi opes, honores, voluptates, quid vis agendi licentiam, atque effrænem audaciam vitæ huius maximam eſſe felicitatem opinantur. Sed demus iſto errore, aut ignoratione eſſe vacuos: tamen cùm ipſi ad res mundanas, quas ſectantur, vehementiùs propendeant, ſintque in ſuos tenerè propenſi, ſecum mundi pedicis irretitum retinere conabuntur, ne ad Chriſti nudi crucem, religionemque tranſuoles, pręſertim ſi à tuo conuictu, & familiari conſuetudine ſolatiola etiam, atque ſibi ſuiſque emolumenta obuentura polliceantur: omnia enim tunc non tam ratione, quàm ſuis commodis metiuntur. Iſtorum hominum is eſt ſermo, *Noli*, inquiunt, *præcipitanter agere, diligentiùs intuere, magnum eſt, quod proponis, & opus habens multa deliberatione. experire quid poſſis, amicos conſule, ne poſt factum pœnitere contingat*. Quàm callidè, & vafrè! nõ audent apertè obſtare Religioſus ne fias, moras, & obices opponunt, differ, tuos cõſule. Quid ad iſtam orationẽ S. Bernardus? *Hæc ſapientia*, ait, *mundi, terrena, animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ ſolet Deo vomitum prouocare*. Sapienter Eccleſiaſticus monet in conſilio de ſanctitate

Bernard. ſerm. Ecce nos.

Cap. 37.

tate, aut iustitia cum irreligioso, aut iniusto neq; tractãdum, neque ijs attendendum esse. An sit verò aliquis tam mente destitutus, qui si ædificare, & architectari decreuerit, iurisperitum, aut si manu in iure consertum velit, fabrum lignarium, aut architectum in consilium admittat? aut an non imprudentis sit hominis in cæteris negotijs adhibere neminem, nisi qui sit eius rei, de qua agitur peritus, in vnâ hâc tantâ re eos accersere, qui aut nesciant id de quo definiendum sit, aut si norint, meritò sint
Luc. 14. suspecti, ne recte consulant? At ne solus vaticinari videar, sacra oracula perscrutemur. Christus eum, qui suus velit esse discipulus, iubet patrem, & matrem odisse; id est, (vt S. Augustinus interpretatur,) carnales, & humanos affectus, & conatus eorum, qui nos à via salutis, & perfectionis auocant: illis fidem non habere, eorum persuasionibus nihil moueri, quantumcumque reclament, ad Christum sequendum sese accingere, omnia abijcere, ei vni adhærescere.
Matth. 10. Istud verò eodem Christi diuino ore pronunciatum, quàm ad rem præsentem pertinet? *Inimici hominis domestici eius*, quo ex Euangelij loco S. Thomas
Opuscul. supr. c. 10. vir sanctus ęque ac doctus conficit à consul-

consultatione de Religione ineunda ideò carnales propinquos esse amouendos, quòd amici in hoc negotio, non amici, sed inimici esse soleant: ad exemplum (credo) ex industriâ idem Christus Dominus, etsi ei à Virgine Matre, Patreque nutritio Ioseph viro sanctissimo nihil esset periculi, tamen duodennis in templo, ijs non modò inconsultis, sed etiam inscijs, & quod nescirent grauiter dolentibus, remanere ad res patris æterni tractandas voluit; vt, cùm de diuino obsequio agitur, nos intelligeremus à parentum consilio minùs nos, quàm in rebus alijs pendere: eò enim verba illa pertinere videntur: *Quid est, quòd me quærebatis, nesciebatis, quia in ijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*

§.III.

§. III.

Deus omnium præcipuè in consilium, opemque studiosè accersendus.

Adhibendus etiam instructor, & director vir quispiam peritus, & probus.

QVem igitur, inquies, adibo petendi consilijs causâ? rectè rogas: nolim enim rem istam sine consilio, ductuque alicuius te solo transigas. Salomonis est hoc monitum; *ne innitaris prudentiæ tuæ*; baculus nimirum iste arundo est, cui si incumbas, stare non possis; ideò pergit (*ne sis sapiens apud te ipsum*) semper & vbiuis suus quisque sibi insipiens est aduocatus, & iniquus Iudex; fallit enim sui quemque amor, & ipsa voluntatis propensio (inquit S. August.) authoritatem virijs quærit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet, suffigit enim mentis oculos, vt nihil videat, aut ita obliquat, vt nihil veri spectet, imò ista est iudicij pro-

proprij peruersitas, vt quod vitiosum est, pro æquo, iustoque habeat. *Via stulti* (inquit idem Sapiens) *recta in oculis eius, quicquid enim stultè sibi præsidens decernit, credit esse optimum.* Eam estimo ego causam fuisse, cùm, vti supra diximus, non audiri parentes, quòd hominis sint inimici, imò eo nomine odisse monuisset, etiam istud addidit, insuper, *Qui non odit, & animam suam, non potest meus esse discipulus*, id est, vt SS. PP. explicant, qui affectum animæ propriæ erga sua commoda, voluptates, diuitias, honores, imò erga vitam propriam, cùm ea est perfectionis, salutisque propriæ nocumento, ita impẽsè amat, vt nolit diuino honori, suæq; saluti postponere, is nequit Christum sequi, vitamque perfectam sub eo duce consectari.

Quare primum omnium ad Deum ipsum, tanquam ad sacram anchoram, ne fluctuet, aut naufragetur animus, ardenter, constanterque recurrendum. Monet etiam hoc Salomon. *Cor hominis disponit viam suam*, cogitat, quid sibi sequendum sit, quam viuendi rationem ingredi debeat. Sed nihil aget, ac ne potest quidem in hoc tam ancipiti negotio. *Domini est dirigere gressus eius*, aut

vt

vt alij ex Hebræo vertunt, liberare, & complanare iter, ne alioquin homo turpiter impingat. *A Domino diriguntur gressus viri*, studia, conatus, fortunantur. *Nam quis hominum regere potest vias suas?* Quare istud tandem recte consequitur, *In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos, habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Salomonem audis? igitur crebrò effunde cor tuum, coram diuina numinis maiestate, sanctissimamque suam voluntatem vt tibi indicare, atque ad eam amplectendam mouere velit, diu multumq; obtestare: Lumen vt videas, impulsus, vt sequi velis, plurimũ efflagita; dic sæpe, precibus, animisque incensis, *Domine, quid me vis facere? doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Has, aliasque eiusdem pharetræ precatiunculas, quasi sagittas ardentes in cælum identidem eiaculabere, idque facies, tum maximè quoties in Missę sacrificio hostia adoranda proponitur, itemque cùm ad sacram mensam admissus, Deum ipsum intra penitius cordis tui hospitium receperis.

Officium

Officium breue de Spiritu sancto, quod est in libellis precatorijs, preces aliæ ad B. V. patronos, Cœlites, Angelum tutelarem crebriùs quoque vsurpandæ, vt illustrationes, inspirationesque diuinas tibi impetrent, eodem referenda erunt ieiunia, missæ, sacrificia, sacramentorum aditiones, eleemosynæ: maximè verò curandum erit, ne tempore istius tam operosæ deliberationis animus grauiori aliquo scelere deturpetur: nihil enim æquè Dei gratias, auxilia, lumina, impulsus impedit, atque eneruat: cùm peccatum lethale non modò familiaritatem, sed diuinam ipsam amicitiam extinguat, hominemque efficiat potiùs omnibus pœnis, quàm beneficijs dignum, vt pote læsæ diuinæ maiestatis reum, ac perduellem. Quare si quæ istiusmodi macula contraheretur, statim vel actu amoris Dei, & perfectæ contritionis, vel quod certius est, pœnitentiæ lachrymis, Christique sanguine apud confessarium erit eluenda.

Hæc qui diligenter, constanterque præstiterit, ad futuram sibi è cęlo lucem, confidat, diuinos exspectet motus, speretq; fore omninò, vt in re tanti ad salutē momenti, non hallucinetur: cū enim nos Deo Opt. Max. vltro dare ea, quę nobis

nobis ſuadet, ipſe peroptet, & ad implorandam à ſe opem vehementer hortetur, impium ſit ſuſpicari ei defuturum, qui non modò eum votis, ac precibus fatiget, ſed etiam benefactis demereri multùm ſtudeat. Verùm quia hominibus etiam per homines ſuauis Dei prouidentia conſulere ſolet, (nam ideo Saulum, quid ſe facere vellet rogantem ad Ananiam miſit hâc voce. *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.*) Vir quiſpiam vnus, aut alter tibi erit deligendus, qui huius tuæ vitæ dux ſit, idemque inſtructor: cum quo candidè, ac fidenter rem omnem conferas, cuius conſilia non aſperneris. *Aſtutus* (inquit Sapiens) homo, inquam, cautus, & prudens, *omnia agit cum conſilio*, idque maximè neceſſarium eſt adoleſcentibus, tum quòd rerum ſint iſtarum rudes, ac ignari, tum quod ætatis ſuæ vitio temerarij, & audaces nonnunquam cæco impetu, ſubinde fallente etiam boni ſpecie, longiùs, quàm par ſit, abripiantur, niſi adſit, qui moderetur, & quaſi iniecto fræno regat. Verùm ſit ductor ille, & conſiliarius vir doctus, prudens, probus: qui res percalleat, quę in conſultationem vocantur, qui circumſpiciat omnia,

qui

qui nec fallere, nec aliò trahere suum clientem velit, quàm quo à Deo ipso senserit impelli: quam ad rem magis videntur facti confessarij, modo ij sint eiusmodi, quales superiùs, cùm de moderatore morum, & conscientiæ, agerem, descripsi.

§. IV.

Consultationis methodus, ac ratio.

NOn ita Deum, diuinumque quempiam hominem adire, & audire debes, mi Adolescens, vt te etiam in consilium adhibere negligas: eam enim ob rem à Deo rationem accepimus, & quidem (quod singulare est beneficium) fidei supernaturalis lumine illustratam, vt rationem ipsam consulamus, eique auscultemus. Licet verò nonnunquam contingat aliquos propemodum miraculosè ad quodpiam vitæ genus à Deo vocari, tam clarâ illustratione, ac notitiâ diuinæ voluntatis, vt ne in dubium quidem eam reuocare possint: tantâ vi numinis in his agentis impulsione, vt trahenti resistere, ac ne cunctari quidem queant (quod SS. Matthæo, Paulo, alijsque nonnun-

quam euenisse legimus) tamen quia extraordinariæ sunt eiusmodi vocationes, neque certis præceptionibus tradi possunt, communi consultatione, agitationeque mentis, ac studio opus est, quo animus rationes in vtramuis partem excutiat, atque ad veritatis indagationem, velut facem voluntati præferat: vt facultas hæc electrix id demum sibi sumat, quod omnibus exactè perpensis fuerit iudicatum melius. Porrò in huius negotij tractatione, ante omnia finis, ac scopus, tum homini, tum vitæ humanæ à Deo præfixus, diligenter ac studiosè attendendus, neque vnquam ab eo oculus mentis diuertendus est: nisi enim in eum continuò collineabis, aberres necessum est. Quare peccant illi, & grauiter falluntur, qui opes, honores, voluptates sibi primùm proponunt, & pro fine habent, cùm media dumtaxat esse ad finem debeant; porrò finis ille, ad quem conditi sumus, supernaturalis est, in quem omnia reliqua referri oportet, amor scilicet Dei, & eiusdem legitimus cultus, atque adeò animæ nostræ salus, æternaque felicitas: sit igitur hæc semper recta intentio in deligendo vitæ statu, vt, vti rebus creatis, aut minimè vti his, istis, hoc, istóve

modò

modo velis, prout maximè è diuino honore, ac ſalute noſtra fore nullis humanis reſpectibus, aut commodis ducti ex Deo ipſo intellexerimus. Hûc redit meus Salomon. *Oculi tui*, ait, *rectà videant & palpebræ præcedant greſſus tuos.* Sapienter: nam vt qui cautè, & certè incedere volunt, non hùc, atque illûc oculos circumferunt, ſed rectà verſus eum locum, in quem contendunt: ita nos niſi deſipimus in præſtituendo præſertim totius vitæ genere in vitæ noſtrę finem reſpicere debemus: nam ſic eum Salomonis locum explicat S. Gregor.

Palpebræ greſſus noſtos præcedunt, cùm operationem noſtram conſilia recta præueniunt, qui enim negligit conſiderando præuidere, quod facit, greſſus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, ſed præuidendo ſemetipſum non antecedit, atque idcirco citius corruit, quia quo pedem operis debeat, ponere per palpebram conſilij non attendit, Ac finis quidem, quem dixi, omnibus idem eſt à Deo propoſitus, media verò, quibus obtineri poſſit, & numero multa, & conditione varia: ſunt enim hominum ſtatus & plurimi, & diuerſiſſimi: quæ media etſi de ſe nulla mala ſint, tamen ea ſolùm deligenda, admouendaque ſunt, quæ magis factura, Paſtor. p. 3. adm. 16.

aptioraque videbuntur ad finem perfectiùs tutiusque adipiscendum. Nam cùm in cæteris rebus, ac negotijs, qui prudentes habentur, eligere soleant, quæ proposito, institutoque maximè seruiant, si modò ea habeant in sua potestate: ita stulti, certè minùs sani sit hominis in hoc vno negotio, ex quo omnia dependent, relictâ viâ, & tutiori, & meliori, ista viæ dispendia, & incommoda consectari, quibus ægrè speres, imò meritò te peruenturum diffidas. Iam dictum sæpè: Perijsse semel æternum est; nulla satis magna cura securitatis esse potest, vbi de æternitate vel beata, vel infelice dimicatur: de summa, vnius iactu aleæ periclitari, cum aliter rebus tuis consulere permittaris, amentiæ argumentum esse omnes sentiant. Igitur diuino amore, & cultu maiore, deinde, salute propriâ certiùs quærendâ, tanquam finibus; diuersis quoque statibus, tanquam medijs animo propositis, commoda statuum, atq; incommoda diligenti indagine requirenda; vbi deprehenderis internoscenda, discernendaque; tum demum seriò atque maturâ iudicij bilance ponderanda: vt ea denique repudientur, quæ nimium fini incommodant, ea accipiantur, quę meliùs,

meliùs ac certiùs finis consecutioni conducunt. Atque in his quasi duobus postibus totius deliberationis cardo vertitur. Quia verò longum esset per singulos distinctè hominum status euagari, duos ex ijs generaliores, vitam sæcularem, ac religiosam sumam: nam ad hæc ferè capita particulares viuendi rationes facilè reducuntur. Verùm priusquam trutinam in manum capiamus, & commodorum, incommodorumque pondera examinemus, monendus est is, qui deliberaturus est, vt priùs ex animo præiudicia, opiniones, errores, propensiones, affectiones, cæteraq; eiusmodi syncerè coram Deo deponat interim, eò quòd iudicium syncerum impediant, Deoque, si fas ita loqui, libertatem adimant, ne ipse quò velit præoccupatum hominis animum inflectat. Quare animus ipse ante omnia ita in diuinâ manu componendus, librandusque relinqui debet, vt planè ex sese in vnam magis partem, quàm in alteram minimè propendeat; Deum agere, se agi sinat. Cogita tu mihi tres ægrotos, qui sanari quidem omnes velint, sed primus nolit admittere vllam medicinam, partim horrore, partim cruciatuum metu. Secundus

medicinam non refugiat, ſed eam obſtinatè velit, neq; aliam, niſi, quam ipſe probat, & cupit, etſi minimè, aut ſaltem minus curando morbo efficacem. Tertius denique ſe totum medico ita permittat, vt & imperet, & vrat, imò etiam ſecet, ſi opus ſit. Vt hic vltimus, ita planè ex ſeipſo indifferens ſit, totuſque à diuinâ voluntate pendeat, qui de vitæ ſtatu deliberaturus eſt. Et verò reperiuntur non pauci, qui Religionis (ne fortè ad eam impellantur) tãto horrore, aut metu percelluntur, vt de ſtatu deliberare non audeant: timent illi ſcilicet, ne vt mediaſtini famuli, à culinæ fumo, & nidoribus ad ſupremi Regis aulam, cui ſeruire regnare eſt, deuocentur: ideoq; oculos, & aures aperire reformidant, ne vocantem vel videant, vel audiant. Faciunt id alij horrore, & metu, non tã Religionis, quã ne non perſeuerent: hoc deiectioris animi telo proſtratus iacuit diu olim S. Auguſtinus mutationem vitæ defugiens, donec audiuit Deum ſibi vociferantem: quid in te ſtas, Auguſtine, & non ſtas? proijce te in Deum, noli metuere, non ſe ſubtrahet, vt cadas, excipiet te, & ſanabit te. Quãto ſint diuinæ vocationi obſtaculo præiudicatæ opiniones, & animi in

in vnam partem obſtinationes, nullo vnquam exemplo teſtatum magis, quàm Euangelici iſtius adoleſcentis, qui cum ad Chriſtum acceſſiſſet, viæ ſalutis diſcendæ, ineundæque ſummo deſiderio, incenſus, intellexiſſetque ad maiorem perfectionem pręceptorum diuinorum obſeruationi conſilium Euangelicæ paupertatis adiungendum eſſe, *Abijt triſtis: erat enim* (ait Euangeliſta) *habens multas poſſeſſiones.* Quare vt clariſſimè rem hanc de indifferentiâ omnem expediam. Primùm nullum vitę genus perhorreſce, quod tibi quadrare poſſit, nullum cęteris tu ipſe præferas, aut tibi præoccupes: itaque ſi vel parentum, vel ſociorum, vel primę ętatis inſtinctu, aut inductione animo imbiberis priorem amorem, aut odium erga certum viuendi inſtitutum, tantiſper ſepone, dum clarè diuina voluntas ex factâ deliberatione conſtiterit. 2. Nullius rei tanto vel amore, vel horrore tenearis (quę de ſe bona vel mala non ſit) quin eam vel admittere, vel abijcere ſis paratus, quandocunque videbis diuinę vocationis rationibus congruere. Quò autem te ſenties in hâc deliberatione magis liberum, atque iudiciorum, affectuumque immunem, eò melior totius

Matth. c. 19.

deliberationis exitus ſperandus eſt: at iam deliberationem tandem ipſam aggrediamur.

Vitæ ſæcularis commoda duplicis generis cenſeri poſſunt; quędam enim ad fortunæ, & exiſtimationis bonum, corporiſque, aut animi vmbratilem, & fucatam quandam felicitatem pertinent: quædam ad materiam, & ſegetem virtutis, veramque vitæ huius, imò & alterius beatitatem, ad quam conducibilia eſſe videantur.

In prima claſſe ſunt viuendi ratio ſolutior à curis, & aliorum arbitratu; opulentia, honorum decora, famæ, & auræ popularis applauſus, robur, & vires corporis, longæuitas, exporrectio, & hilaritudo animi, vacuitas doloris, voluptates etiam honeſtæ, conuiuia, amicorum neceſſitudo, & ſocietas. In ſecundo ordine computantur maius erga Deum meritum ex difficultate ſtatus, varia patientiæ exercendæ anſa, ex amiſſione, famæ, honoris, fortunarum, familiæ: liberalitas erga pauperes religioſos, & loca Deo ſacra, reipublicæ cura, & adminiſtratio, quæ tota à vitæ ſęcularis hominibus pendet: imò communis etiam ordinum Religioſorum incolumitas, & ſalus non tantùm, quod orbis

orbis occasurus sit, si omnes matrimonio abstineant, sed esse oporteat Medicos, qui ægros curent; Iurisperitos, qui iuri dicundo præsint; milites, qui contra hostium vim tueantur; imò coquos, sutores, sartores, architectos, mercatores, etiam vilissimarum quarumuis mercium, sine quibus non domus, non communitas vlla, non mundus ipse stare possit. Quanquam hoc vltimum cùm ad generalem Dei curam spectet, parum est timendum: certè non deerunt, qui ad artes & hominum propagationem se applicent, vti hactenus nulli defuerunt. Difficultas status sæcularis vereor vt potius impatientiam augeat; quàm meritum creet: iam opum ea est pertinacia, vt rarò & parum, diuitum Arcæ & manus pateant: quicquid demum de opum pio vsu sit, plus est arborem totam, quàm eius fructum aliquem obtulisse. Incommoda verò istius vitæ sunt, neminem habere cui te tutò credas, opes reuera spinas esse. ambitionem ab imperitæ multitudinis sententiâ pendere, voluptatum conuiuiorumque Asseclas morbos & mortem esse: dolia fellis pro mellis gutta affundi, subsequi acerbissimum mœrorem ex bonorum iacturâ, charorum amissione, coniugis,

libe-

liberorum. His accedunt conſcientiæ ſtimuli & morſus, animi anxietas & inquietudo: denique peccandi pericula tot tantaque, vt exprimi minimè poſſint: nam mundus ſylua eſt vbi immanes feræ, nefanda quotidie latrocinia: Mundus, mare infame quotidianis plurimorum & iactationibus, & naufragijs.

Iam vitæ Religioſæ incommoda, ſi modò Religio ſit vigens & florens (neque enim aliam eligi oportet) etſi propriè nulla ſint, iſta tamen alicui videri poſſint, præſertim corpori ac ſenſibus; carere Parentum Amicorumque ſolatijs, caſtè & temperanter viuere, imò ſeuerè & auſterè, ſunt enim aliorum toleranda imperia, frequentanda ieiunia, preces, & meditationes vſurpandæ, mortificandæ paſſiones & affectiones, ac veluti ad viuum continuò reſecandæ.

Commoda huius vitæ ſexcenta; Primò cùm nihil habeas, omnia poſſidere. Secundò Deo & tibi & Æternitati vacare. Tertiò centuplum hic & iſtic habere, quò ſpectat aſſeſſio cum iudice, & merces in cœlo ſingularis. Sed quid ego ſingula enumerem? tres quaſi auri venas intento digito demonſtremus, vnde omnia affatim erui à quouis facile poſſint.

Pri-

Primum eſt, quod Beatum iſtud viuendi genus omnes propè vitiorum fontes occludat, impedimentorumque ſalutis obices proturbet ſocietates prauas, exempla improbitatis, opes, irritamenta malorum, iudicium proprium, effrænem licentiam, cæteraſque ſcandalorum ac prolapſionum occaſiones.

Alterum, quod omnia benè meritorieque viuendi adminicula affatim ſuppeditet Sacramentorum, precum, meditationum, opportunitatum, omniumque virtutum à ſocijs, à regulis, à crebra ſui diſcuſſione, ſuperiorum monitis & curâ, ſpecialibus Paternæ Numinis prouidentiæ ſubſidijs, meliori, crebriorique vſu Talentorum.

Tertium denique eſt, quòd ſuſcepto eo vitæ genere nos, noſtraque omnia Numini conſecrando, longè perfectiùs, quàm in ſęculari vita, tot beneficiorum, tamque ingentium titulis ac cauſis quibus Deo obſtringimur debitam gratitudinem diuinæ Majeſtati rependamus; quæ virtus nouos, nouoſque ſemper diuinę liberalitatis fontes aperit; cùm Deus munificentiâ nunquam à creaturis ſe vinci patiatur. Summam omnem, quæ de hoc argumento dici

poſſint,

possint, complectamur breui illa & verissima sententia.

S. Bern. In Religione viuit homo puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, rigatur frequentiùs, fructificat vberiùs, moritur securiùs, purgatur citiùs, prẹmiatur copiosiùs. Qui plura de his volet, aureum volumen quod P. Hieronym. Platus noster de bono Religionis conscripsit, vel P. Lessij solidam piamque de statu vitæ disceptationem perlegat.

Nunc agedum, ex statuum istorum contentione, commodorum incommodorumque consideratione, ac dijudicatione, quod Salomon hortatur; Dirige nunc semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur, auerte pedẽ tuum à malo. In Hebrẹo textu pro dirige, vox est plenior, libra tibi semitam; Metaphora ducta vel à libratoribus, qui ad aquẹ ductus conficiendos perpendiculo locorum altitudines, ac decliuitates explorant, aut à Trutinatoribus, qui rerum grauitates, aut leuitates examine bilancis expendunt: ita tu, mi Adolescens, vel ad maturi serijque iudicij siue Perpendiculum, siue Trutinam singula quẹ attuli, exactè cognosce, suisque, vt par est, momentis libra, pondera.

Semi-

Semitam potius, quàm latiorem viam attende. Auerte pedem à malo.

Iam, inquis, conclusum est, si id fecero, nam quis tam obtusi est ingenij aut iudicij adhuc puerilis, qui non videat commoda vitæ sæcularis, aut reuera nulla aut parua & vili facienda; Incommoda verò & plurima, & grauissima esse? at Religionis bona, numero, pondere, valore esse eiusmodi, vt incommodis facilè præponderent, quanquam & ea ipsa, quę adferuntur pro incommodis, virtutum meritorumque syluam contineant: quare nisi iniquus ęstimator, & amens Mercator esse velim, vitam sæcularem abijcere, Religiosam amplecti oportebit.

Fateor, si tu quidem ita censes, & ex animo affirmas, radij sunt isti diuinæ lucis, & primæ ad Religiosæ vitæ electionem faces; neque enim omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est à Patre cœlesti, præsertim cùm satis etiam aliunde constet perfectiorem Christoque similiorem esse Religiosam vitam quàm sęcularem, atque adeò illam præceptam non esse, sed tantùm pro consilio datam à Christo atque commendatam, vtpote hominum vulgaris animi ac virtutis moribus longè superiorem,

riorem, ſanè arduam, atque adeò ſingulari laude præſtantem. Verùm iſtud deinde maiori inquiſitione erit & iudicio inueſtigandum ac decernendum. Inſtitutum iſtud de ſe optimum tibine ſit conuenientiſſimum & maximè optandum? Nam licet vinum, generoſum præſertim, de ſe præſtet aquæ, & carnes piſcibus antecellant, non inde mox conficitur, tibi vino puro, & carne ſolidâ vtendum: quid enim? ſi ſtomachi debilitate labores, ſi febri æſtues, aqua, non vinum niſi fortè dilutum, piſcis aſſus, non caro crudior tibi erunt optima, vt quę optimè tibi conuenient: ita in propoſito: facile enim eſt iſtud tibi vt applices: *Quis volens turrim ædificare* (ſimilitudo eſt Chriſti Domini) *non ſedens priùs computat, an habeat ſumptus ad eam perficiendam*? Nam etſi Arcis ædificijque nobiliſſimam Ideam animo efformârit, prius tamen, quàm ſequi eam velit, ei prouidendum eſt, an faciendis expenſis ſatis habeat opum aut virium, aut habere ſaltem poſſit. Alioqui qui Babelem, id eſt, imprudentis hominis inſanam & temerè proiectam molem ſpectârit, irrideat aſpergatque cæmento ſalem illum. *Ecce hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.*

Luc. 14.

Quare

Quare consideranda indoles, naturæ propensio, corporis vires, talenta ingenij, doctrinæ, morum facilitas, affectiones, consuetudines, & præcipuè istud, An Spiritus S. tantum animorum suggerat, tantum auxilij ac gratiæ interius polliceatur; quantum sit opus ad tam arduæ & heroicę mentis partum concipiendum, parturiendum, edendum. Quòd si vires corporis satis sint integræ, si ingenium non indocile, si indoles ac natura non ita pertinax, quin tundendo saltem molliri possit ac flecti, sentiasque apertè, vehementer, constanter ad Religionem te duci, impelli, trahi, non alio præcipuo fine, quàm diuini honoris, tuæque salutis, iam non obscurè diuinæ vocationis ac voluntatis indicia & testimonia tenes: placere scilicet Deo vt vnum saltem aliquem Religiosum ordinem sequaris: ideò enim Deus Ecclesiam sibi à dextris ceu charissimam sponsam assistere voluit in vestitu deaurato circumdatam varietate, vt quia non eædem omnibus vires, non mens, eam sibi sumat quisque, quàm ab animi corporisque viribus minus esse alienam ac repugnantem perspexerit.

Igitur vlterius consultandum erit, quam

quam ex omnibus Religionem amplectaris; qua in contentione istud imprimis monendus, ne vllam eligas, in qua tria vota, vt vocant, substantialia, non religiosè obseruentur: nam si paupertatis muri transiliuntur, singulique suum habent peculium: Si castitatis repagula mulierum accessu & compotationibus effringuntur. Si obedientia pro libitu cuiusque excutitur, Religio ista non est; sed vitæ & morum corruptela. Deinde vigeat in eâ Religiosa disciplina, externi mores ritè sint compositi, sit reuerentia in rebus diuinis, modestia in congressibus, circumspectio in colloquijs, temperantia in mensa, silentium in domo, quies in cubiculis, suus constet Regularum honos & obseruatio, denique Religiosi amicè inter se agant, sibi mutuo honorem deferant se inuicem iuuent, bene de se mutuo loquantur & sentiant, cum superioribus plane, & inter sese aptè cohæreant; vbi ista omnia in vnam Religiosam familiam confluxerint, tutus est portus, quo è mundi procelloso mari enates ac conquiescas.

Quæris pręterea fortasse, cùm non pauci sint (quę Dei est benignitas) hoc pręsertim cultiori sæculo, Religiosi ordines,

ordines, in quibus & votorum & regularum, & cæterorum, quæ laudata sunt, exactissima obseruatio, reperiatur, quisnam omnium iudicandus sit nobilissimus, atque præstantissimus? Difficilis quęstio, cui respondere sine cuiusquam offensione arduum sit, mihi præsertim: hoc tantùm simpliciter affirmare possum, S. Thomam Theologicæ Scholæ Phœnicem censuisse eam esse perfectissimam Religionem, quæ formam habeat vitæ Christi & Apostolorum, id est, vti ipse explicat, quæ Contemplationem, Orationem scilicet, Meditationes rerum diuinarum, piorum librorum lectionem, conscientiæ examina, atque similia coniungat cum actione, siue ex eiusdem Angelici Doctoris mente, cum insigni salutis aliorum zelo. Sed tamen hic istud, quod supra monebamus, etiam attendendum, quid valeant humeri, quid ferre recusent, & quo Deus vocet.

2.2.q.188 art. 6.

§. V.

Locus, modus, tempus concludendæ Consultationis, Electionisque faciendæ.

POrrò, etsi agitatio illa rerum quas hactenus diximus, subinde, tumque præsertim cum maiori deuotione vel in Missæ sacrificio, vel inter orandum, potissimum post receptionem sacræ Eucharistiæ, incalueris, tecum fieri possit, consulto nonnunquam (quando maiores aliqui motus inciderint) tum Deo, tum eo, quem Dei loco consultorem delegeris: tamen priusquàm vltimam tanto operi manum admoueas, expediet vel domi tuæ, ex quâ nonnisi rei diuinæ, aut cum instructore consultandi causâ egrediare, aut (quod esset vtilius) in domo aliqua Religiosa à curis rerum aliarum, amicorumque congressione seiunctum spiritualibus exercitijs sedulò, Hebdomadam circiter impẽdere. Nam turbæ negotiorum, & hominum interpellationes, pręterquam attentam rerum salutarium considerationem, tractationemque impediunt, diuinam etiam

iam illustrationem, atque inspirationem intercludunt, quę non nisi tranquillis mentibus infundi solent: quare Apostoli Spiritum S. in die Pentecostes in formam ignis recepturi, octiduo sese à rerum humanarum curâ abductos Deo totos diuinarumque rerum procurationi tradidêre. Audi monentem S. Bernardum. *Tu, ô Charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel & fauum si praparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem: vt expedito & vacante interno sensu dicas & tu cum Samuele, loquere Domine, quia audit seruus tuus; sonat vox hæc non in foro, nec auditur in publico: secretum consilium, secretum quærit auditum. Auditui tuo procerto gaudium dabit, & lætitiam, si sobriâ aure perceperis.* Igitur orationi, meditationi, Eleemosynis, alijsque pijs operibus, de quibus supra monui, nunc maximè vacabis. Tum in amico ac pio illo tuo recessu, ex instructoris directione, hęc identidem sæpius ac partitis temporibus expendes, & à teipso exiges pro oportunitate. Epist. 107.

Quis est scopus, ad quem omnia mea, meq; ipsum referre debeo? Procul dubio, amor & cultus diuinus, salus animæ meæ. Quàm parùm, me vno neglecto, omnia cætera mihi proderunt? Stat igitur amori, hono-

riq̃ diuino ac meæ saluti, sine qua cætera concidunt, reculas omnes post habere.

Præterea cùm duæ tantum sint militiæ, duo Castra duorum Ducum, Christi & Dæmonis, cuius militiam ac Castra sequi, quem deligere Ducem malim? certè Christum. Variæ verè sunt viæ, quibus ei possim adhærescere: quam potius amplecti velim? nolo hanc, nolo illam, volo hanc, volo illam: quam nolis nolo, quam velis volo, paratum enim cor meum Deus. tantum doce me voluntatem tuam, & doce me eam facere, tu es mes Dominus meus, & Deus meus: loquere Domine, audit seruus tuus. Vitæ sæcularis incommoda, commoda video, video vitæ Religiosæ; omnia expendi. & expendo. Quid mihi salutarius sit, quid optabilius necdum satis perspectum habeo. Domine quid me vis facere?

Expendo iterum iterumque, & ecce expensæ vtrimq̃ descriptæq̃ mihi rationes, ac veluti in bilance appensæ. Agedum quam in partem à Deo magis inclinaris Animi mi? certè nobis iam id vitæ genus eligendum est, quod ad Dei honorem obsequiumq̃ nobis oportunius, ad salutem meam, aut etiam, si Deo placuerit aliorum certius, ad gloriam in Cœlo immortalem vberius, fore putemus.

Adesto Virgo Mater, ades mi Patrone, tuq̃

tuq̃ Angele Tutelaris, Cœlites omnes adeste, tuq̃ eorum intercessione ades Deus mi, quem hic & vbique præsentem fide intueor, & ex corde adoro. Ne me in hac re tanta falli patiare. Dic, inquam, Anime mi:

1. *Horum statuum quem Deo credis fore gratiorem?*

2. *Quem securiorem mihi, & proximis, ad salutem? aut*

3. *Si amicissimus, quem æque ac me nossem, consilium peteret, quid suaderem?*

4. *Imminente morte, quo in statu ac loco vixisse vellem? nam ibi viuere debeo, vbi mori malim.*

5. *In die iudicij stans coram Dei tribunali, quod vitæ genus, de quo reddenda tum mihi erit ratio, velim fuisse tunc consectatus?*

6. *In tam anciptiti vitæ biuio, quid tutius est, ne peream, mundumne vel Iesum crucifixum, & sequi & amplecti?*

7. *Vtro in statu animi talenta & dotes à Deo pro eius obsequio mihi concessas melius perfectiusve impendam?*

8. *Vbinam ad perfectionem solidius instruar, certius manu ducar?*

9. *In quo horum statuum quiescet mihi magis animus, pluſq̃ spei affulget, fore vt perseuerem?*

10. *Cum nihil sit melius quam Christi,*

Apostolorumq; aliorum qui in Sanctissimorum numero sanctiores putantur, vitam ac institutum imitari, vbi id commodius, compendiosiusq; assequi possim?

Atque hæ interrogatiunculæ faciendæ erunt non omnes vno eodemq; tempore, ne nimium mens fatigetur, sed interruptim & per interualla vicibusque subinde repetitis: quod cùm facis, (monitum est Thelanili pij Authoris, qui de hac re scripsit) teipsum quasi in iudicij diuini luce constitues, vbi omni affectu seposito sit soli Deo ex recta ratione respondendum; & quod sincerâ mente constitueris, id ad extremum vsque retineto. Quæ tibi ad singula interrogata respondenda occurrent, si ad statum vnum collimant omnia, non est cur de eo suscipiendo dubites. Si verò ex quibusdam interrogatis hæres, vacillas, aut nusquam duceris: ex alijs verò clarè & solidè ad meliora promoueris: id satis esse debet: nec enim singuli vel singula capiunt, vel quibusuis promouentur: Vnicâ bene dilucida face nocturnas ad viam capessendam tenebras clarescere satis est. At, si contingat, ex diuersis in diuersa motus excitari, de momento & pondere rationum inter se aduersantium rite iudicandum erit, valdeq;

valdeque consultum fuerit, non suo vnius iudicio stare, sed viri prudentis, maximèque Confessarij dictis acquiescere. Ita ille. Sequitur iam vltimum, quo omnia quæ hoc cap. tractauimus, pridem tendunt, vt nimirum tandem eligas, remque tantam definias, destinatoque animi proposito confirmes: cauebis tamen, ne facilè aut temere vllo te ad id voto obstringas, neque enim plerumque expedit. Non expedit etiam electionem concludere, nisi eo tempore quo anima tranquilla est, libera, & quodammodo sui iuris. Nam quamdiu durat tribulatio, non est electionis locus: vnde monet Ecclesiast. Ne festines in tempore obductionis: quare si quæ tum sæuiat in animo tempestas, expectandum, donec desæuiat, redeatq; serenitas: quia sicuti dum turbida est aqua nihil in ea perspici potest: ita animo malè commoto nihil bene fit. Maximum verò & optimum argumentũ erit: si in ista quiete animi adfuerit spiritualis & diuina consolatio, id est, si virtus placet ac sapit, si ei contraria desipiunt, & iam insuauia videntur: si in tractatione rerum diuinarum subsultat gaudio animus, & gestit: si lux maior affunditur, si exiliunt la-

chrymæ. Huç pertinet mentis raptus in Deum, ſpes vegetior, calor diuini amoris, cœleſtium amor, terrenarum rerum generoſa contemptio.

Igitur cùm inter precandum nactus eiuſmodi internæ tranquillitatis & diuinæ conſolationis tempeſtiuitatem, te in vnam diſceptationis partem vehementer impelli ſenſeris, eam ardenter eliges, offereſque diuinæ maieſtati ad extremum comprobandam; gratias, ages pro eo vocationis tuæ beneficio, ſimulque obteſtabere, vt cuius rei præoptandæ causâ lumen, mentemq; infudit, eius quoque tum fortiter ſuſcipiendæ, tum conſtanter perficiendæ opportunitatem gratiamque impertiat. Hîc ſi deprehendas animum in facta electione confirmari, quaſi Deus nouo affuſo lumine, redintegratiſque impulſibus factum approbet, vireſque pares adpromittat; nouum erit illud indicium diuinæ voluntatis, & veluti legitimum ſigillum totius electionis.

Atque ex his vides, opinor, non modò aliquam eſſe viam diuinæ vocationis cognoſcendæ (quod aliqui, vt negotium à ſe amoliantur, ſtultè negant) ſed eius rei methodum etiam tradi poſſe, neque admodum obſcuram aut difficilem,

ficilem, ex rationis ipsius sensu, atque grauissimorum scriptorum consensu deductam; quod ita esse, vti spero, experientur suo bono, qui vti eâ voluerint.

§. VI.

Quanti facienda vocatio ad Religionem: quàm cauendum, ne conceptus ille ardor elanguescat, & ne executio nimium differatur.

QVi statum sęcularem delegit nihil magnopere eget vel oratore vel hortatore: nam neque status ille de se magnam laudis syluam subministrat oratori, & frustra sit hortari suâ sponte eò per camporum aperta procurrẽtem. Si opus stimulis, plus æquo extimulabunt diuitiæ, delitiæ, honores triplex vehementissimum calcar. At is qui Deo authore vitam religiosam profiteri constituit, & argumentum suppeditat, quod oratione exaggerari possit, & magnopere indiget hortatore, ne Spartam, quam accepit exornandam, postea abijciat, prehensamque propemodum è manibus sibi eripi lauream sinat: neque verò

deerunt

deerunt hostes atrocissimi, acerrimæ pugnæ. Obsistent inferi, mundus obganniet, caro reluctabitur. Itaque huc iam curæ conuertendæ, vt tyronem ijs armis militaribusque præceptionibus instruamus, quibus pedem figere, atque aduersariorum insultus sustinere possit. Id autem facillimè Dei gratiâ assequemur, si quale & quantum sit diuinæ istius vocationis beneficium dilucidè monstrauero, ipseque probè intellexerit.

Infinita iterum res ista, si persequi sigillatim voluero, superius enim aliquot capita retuli, ex quibus ceu perennibus fontibus innumera bona, commodaq; Religiosis copiosissimè dimanãt. Quæ si animo comprehendantur, luculentissimam fidem facient, post sacramenta, nullum munus à Deo maius homini conferri posse, quàm vt è mundo ad Religionem, id est, è mari in portum, è campo ad arcem, è mundi, carnis, dæmonis tyrannico dominatu, in libertatem famulorum Dei, perhonorificamq; familiam deuocetur.

Egregiè de hoc argumento plurimi scripsere. Satis hic erit velut in tabellam paucis omnia contrahere, qua velut vno obtutu rem omnem spectãdam,

mala

mala quibus eruueris, bona ad quę vocaris, oculis subijciamus. Igitur primo cogita tu mihi mundi miserias, fraudes, laqueos, labendi occasiones, peccata quæ istic regnant: his te diuina bonitas eximit. 2. Vide hominum mundanorum cæcitatem, quòd breuitatem vitæ atque inconstantiam, iudicij diuini seueritatem, dum minimè attendunt, reculas temporis momento perituras æternæ gloriæ anteponant, sibiqúe ęternis cruciatibus comparent. Istâ te cæcitate atque amentiâ Deus vindicat. 3. Bonorum genus omne huc concurrit, vtile, honestum, iucundum: in bonis vtilibus imprimis hæc numerari debent, peccatorum remissio instar noui baptismi; vacandi Deo, diuinamque in omnibus voluntatem exequendi commoditas; communicatio bonorum operum, diuinæ gratiæ influxus vberior, siue ex Sacramentorum, precum, meditationum vsu, continuisque pietatis officijs, siue ex materia omnigenarum virtutum, quæ in fertili illo solo felicissimè efflorescunt; huc adde ingentem sementē & messem meritorum, quæ consurgit ex totius vitæ actionibus ad Religionis, obedientiæ, charitatis, cæterarumque virtutum normam compositis. Accense

in

in hoc quoque bonorum vtilium numero ſuperiorum vigilantiam, ſingularem Dei curam, peculiare Virginis Patrocinium, ſigna prędeſtinationis, mortis ſecuritatem. Iam verò ad honeſtatem dignitatemq; Religioſi ſtatus hæc pertinent; quòd animum nobilem ac verè heroicum oſtentet; quòd rebus omnibus ſuperiorem cælo attollat; quòd Chriſto ſimilem, amicũ, filium chariſſimum efficiat, Eccleſiam mirificè ornet, eximijſque fructibus augeat, quas ob cauſas etiam hîc maximis honoribus ij, qui id vitæ genus arripuere, cumulantur: Religio genus eſt iugis ſacrificij, imò Martyrij: hinc aſſeſſio ad latus iudicis, hinc egregia præ alijs inter beatorum cœtus laurea atque merces. Denique ad iucunditatem iſtius vitæ hæc ſpectant, vacuitas à ſecularium moleſtijs, pax conſcientiæ, lętitiæ vndantis irrigationes ex fratrum patrumque amantiſſimo conuictu, ex orationum & ſtudiorum iucundâ interpellatione, ex amplificatione honoris Dei & ſalutis proximorum, ex paſſionibus animi ſuppreſſis, ex ipſo pręterea ſuauiſſimo virtutum exercitio; nihil enim ęquè iucundum eſt ac bene pieque viuere: denique ex incredibili illo gaudiorum ſenſu,

ſenſu, quibus quadam cœleſtis felicitatis pręguſtatione Deus Religioſorum animos ſubinde ita perpluere ſolet; vt mundi voluptates præ illis quiſquiliæ, imò ſordes ac lutum eſſe videantur. Sciunt id verum eſſe, qui ſentiunt. Quare meritò viri graues ac ſancti, Religionem appellant domum Dei, Chriſti familiam, vitam Angelicam, virtutis ſcholam ac palæſtram, montem Thabor, ſcalam Iacob, portam Cœli, Theſaurum in agro Euangelico abſconditum: Religioſos verò ijdem aiunt eſſe partem Eccleſię ſelectiorem, illuſtriorem portionem gregis Chriſti, vno verbo, homines cœleſtes, terreſtres Angelos. Hinc ſcilicet Ægidius ille è primis S. Franciſci ſocijs, vir tam diuinus, vt ad ſolam Dei aut paradiſi vocem ſtatim extra ſe raperetur, ſciſcitanti cuidam num ſuaderet Religionem vt ingrederetur, ita reſpondit. *Dic mihi, mendicus, ſi rectè ſciret aliquo loco ingentem latere theſaurum, an ille conſilium peteret, expediret ne eum effodere? cumq; is negaſſet, quanto igitur, ait, alacrius debet homo ad infinitum illum, Dei theſaurum accurrere, in quo ſolo ſunt veræ & æternæ diuitiæ?* Quod ille audiens illicò religioſam vitam eſt amplexus. Porro vt maximum eſt iſtud vocationis

cationis beneficium, ita necesse est teterrimum esse ingrati animi vitium, si ille, apud quem tantum Dei munus est collocatum, non modò non æstimet, sed sibi eripi sinat, aut etiam sponte abijciat. Fit verò istud non statim plerumque, sed quo modo quis euadit pessimus, paulatim, & sensim sine sensu; primùm temporis fluxu conceptus ardor nonnihil remittitur, paulò post elanguescit intermoriens, denique planè extinguitur: atque hæc ita facillimè & sæpè euenìunt, dum vocationis, quod dixi, beneficium rariùs expenditur, loco esse incipit viliori, dum sacramentorum vsus interrumpitur, dum peccata grauiora liberiùs iam admittuntur, initur vita licentiosior, agitur cum socijs morum dissolutorum, etiam crebriùs cum fœminis, frequentantur conuiuia, choreæ, tripudia. Nam his vijs ac causis non paucos à suscipiendę religionis proposito turpiter desciuisse multis in Academijs vidimus, calamitosissimosque exitus defleuimus. Quare ei, qui gratus pro tam singulari gratiâ esse, suæque saluti consultum velit, vt animum in proposito retineat, & alat augeatque indies, contraria omnia procuret.

Pri-

Primo crebrò donum vocationis in memoriam reuocet, & magni faciat. 2. Piè probeque vitam instituat. 3. Frequentet Sacramenta: cum viris religiosis eoque præsertim, quem in consultando adhibuit, sæpè agat, eorumque rum collocutione, tum piorum librorum lectione concepto igni velut alimenta subministret: improborum consortiones, compotationes, fœminas, saltationes, aliasque eiusmodi bonorum morum corruptelas, studiosè deuitet: est enim dementissimus nonnullorum iste error, qui verbo & exemplo suo dictitant mundo esse semel vale dicendum, id est, insaniendum ad nauseam, priusquam claustra religionis ingrediantur: itaque isti homines tum maximè otiantur, vagantur, debacchantur etiam, tripudiant, cantant, insolescunt & iuuenantur: quibus frænum istud iniecit olim S. Basilius. Nec ad iustitiam per fraudationem, nec ad temperãtiam per proteruitatem, nec ad virtutem iter est per vitium. Nec ad iustitiam iter est per fraudationem, nec ad sobrietatem per lasciuiam, nec (vt summatim dicam) per malitiam ad virtutem. Quis vulneri medicinam facturus priùs se vulneribus nouis, nouisq; conficiat? aut duci optimo

Orat. 1. de ieiunio.

mo nomen & fidem daturus, ante ad capitalem ipsius hostem transfugiat? Singularis amentiæ, aut nequitiæ hoc genus est. Sed nunc quàm turpe sit flagitium Deo exosum, saluti inimicum, diuinam vocationem aspernari, aut etiam mutato consilio respuere, paucis ostendamus. Proferantur primum sacræ literæ. *Hæc dicit Dominus. Locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis, & vocaui vos & non respondistis: proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros.* Quem non percellant etiam ista Samuëlis ad Saülem? *Quia proiecisti sermonẽ Domini, & proiecit te Dominus ne sis Rex in Israel.* At istæ Sapientiæ interminationes quem non prope exaniment? *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo; cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam.* Quid tandem? *Comedent igitur fructus viæ suæ suisq; consilijs saturabuntur.* Hæc Deus fulminat. Quid verò tu ad hæc? audio: quâ lege,

Ierem. c. 7.

1. Reg. 15.

lege, inquis, ad Religionis vota obstringor? consilia ista sunt, non præcepta. Quæris nunc ergo quâ lege obligeris? primùm, gratitudinis vinculo, quam sanè non mediocriter violas, si præ alijs te dignioribus tantâ beneuolẽtiâ à Deo ad tam excellentem viuendi rationem euocatus, postquam annueris, resilias, tantumque ipsius munus veluti per contemptum sine causa proijcias. Rogas iterum quâ lege tenearis vocanti Deo, in hoc præsertim tanti ponderis negotio, obsequi? Charitas tui, animæque salus & vita obligant, quæ profectò iam in apertum discrimen vocantur, si, quò vocatus es, venire obstinatè recuses. Agedum, Imperator quispiam optimus, idemque maximus militem pro regni incolumitate vocat in certum locum, vel vt excubet, vel vt manum cum hoste conferat, simulque offert, si venerit, tum præsidia, quibus virum se præstare possit, tum, si vincat, insigne donatiuum, lemniscatam coronam. ille vocatus etsi iam militiam acceptarat, hastam & clypeum, animumque simul abijcit, & castris valere iussis aufugit: an non peccare in Imperatorem, & pœnæ reum tanquam desertorem & perduellem arbitraris? atqui Deus te ad certum Chri-

ſtianæ militiæ genus, Religioſum, inquam, ordinem, amplificandi diuini ſui honoris, & Eccleſiæ bono, inſigni prerogatiuâ euocarat, ſimulque auxilia, ſimul ingentem gloriam erat pollicitus. Gratum acceptumque id habueras: iam perduellis in aliam ſtationem atque ad alia omnia transfugis. An bene ab eo tibi fore in eo loco, quem perfidè tibi tu vni delegeris, an etiam ſine culpâ, an denique impunè id cáſurum putas? Excipe auribus iſtud tonitru. *Dilexit maledictionem & veniet ei, & noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Exemplis veteribus & nouis abundamus. Ero vno, alterove contentus. Primùm eſt ex S. Bernardi Epiſtolis depromptum: *Videris mihi* (ait, ſunt enim ipſius verba) *vno ſpiritu ambulare, ſicut & vno cenſeris nomine, cum altero illo Thoma, qui cum ſe ſimiliter noſtro ordini, & noſtræ domui toto deſiderio deuouiſſet, cœpit induciari, & ita paulatim refrigeſcere, donec ſubitâ & horrendâ morte prereptus factus de medio eſt ſæcularis, & prauaricator, & duplo filius gehennæ: quòd ab eo, ſi fieri poteſt, auertat miſericors & miſerator Dominus.* Infelix ſane exitus! paulò mitius, quod ſequitur. Iuuenis qui Ciſtercienſe inſtitutum ſequi conſtituerat, dum procraſtinat, cœpit

Pſal. 108.

cœpit intepescere: vix ex Compostellanâ peregrinatione domum reuerterat, visendum se ei prębet per noctem Christus, cùm Apostolorum Petri & Iacobi comitatu. S. Petrus insignem librum gestare videbatur, in quo Ioannes (hoc erat iuueni nomen) descriptum visebatur. Tum Petro Christus, dele, ait, istum de libro meo. At S. Iacobus contra pro suo, vt appellabat, peregrino, intercedere, vitam, animumque clientis meliorem polliceri. Hic Ioannes pallere, tremere, & meliora adpromittere: Christus verò inconstantiam arguere, minus fidere in posterum, fidei-iussorem postulare. Et ecce vadem se præstat Iacobus. Inter hæc iuuenis somno excitatur, paulo post sopore victus iterum obdormiscit. Redit animo eadem quæ prius obiecta species, idque amplius, quòd in libro istud è Canticis adscriptum legebatur. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* His ille tum minis primùm, deinde pollicitis commotus, ruptâ morâ Cistercium conuolat, vbi magnis factis in virtute progressionibus, postea Abbas Bonæuallis, postremò Episcopus Valentiæ factus est. Ita verissimum esse constitit quod S. Gregorius pronunciat; *Licet multi sint, qui etiam*

Epist. 61. ad Maurit. Imper.

etiam in sæculari habitu bonam vitam ducere possint, tamen esse plerisque, qui nisi omnia reliquerint saluari apud Deum nullatenus possint.

Restat nunc antequam Salomonicas has institutiones concludamus, vt de ijs quoque paucula dicam, qui etsi necdum planè animo Religiosam vitam, quam suscipere contenderant, abdicarunt, dum tamen differunt, sine graui causâ, atque procrastinando in futurum reijciunt, in maximum vel à Deo auferendæ, vel suo vitio amittendæ vocationis discrimen sese conijciunt. Ac causas quidem dilationis honestæ, si quæ subsint, nihil reprehendo, modò tamen constet subesse, & esse rationi consentaneas, aut si dubiæ sint & controuersæ, cum viro prudente ac probo, eo præsertim qui fuerit in consultatione antea adhibitus, communicentur, & discutiantur. Causas quas nonnulli nullo nixas fundamẽto suæ inertiæ atque ignauiæ obtendunt atque obtrudunt paulò pòst ipse nullo negotio subruam: cum enim ratione nullâ fulciantur suâ sponte concidunt. Nunc vniuersim id dicamus, nihil magis vrgere moras debere in hoc negotio, quàm hoc esse persuasum, quod testatissimum est, Quidquid tem-

temporis intergiuersatione cunctando interponitur, non solùm esse inutile, sed plerumq; damnosum, summisq; periculis expositum. Hoc enim illud est, quod viri sanctissimi, vtpote gnari, quantum laqueorum in istis procrastinationibus lateat, vna voce clamant, rumpẽdas moras omnes, festinandum, fugiendũ, procurrendum, euolandum. Clamat Ambr. *Nescit tarda molimina Spiritus S. gratia.* Epist. 103. Clamat Hiero. *Festina quæso te, & hærentis in salo nauiculæ funem magis præcide, quàm solue si habes in potestate rem tuam, vende: si non habes proijce.* Clamat Chrysostom. Hom. 56. ad pop. *Dum tibi feruens est hic amor, abi statim ad ipsos Angelos, eumq; magis attende. Ne dicas alloquar prius propinquos, resq; meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio. Patrẽ sepelire discipulus voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quoniam acer instat Diabolus, vt se in animum insinuet, & si vel breuem arripuerit vacationẽ, vel prorogationẽ, ad magnum inducit torporem. Ideò quidam admonet. Ne differas de die in diem.* Clamat Anselmus. *Festina ad tantum bonum quia* Ecclef. 5. Bpist. 2. *nullo bono efficacius peruenies ad summũ bonum. Plures vidi promittentes & differẽtes, quos ita mors tulit, vt nec id perficerent quo se impediebant, nec id inciperent, quod promittebant.* * *qui differt in futuram, & forsi-* * Epist. 5.

tam non futuram ętatem suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procul dubio, & contemnendo quod perdit, probat se non amare, quod expectat, & meretur non accipere.

Epist. 105. Clamat denique Bernardus. *Quid tardas ipsum, quem iam dudum conceperas spiritum parturire salutis? nihil mortalibus vel morte certius, vel incertius horâ mortis, siquidem tanquam fur in nocte, ita veniet. Væ prægnãtibus illa die, si superuenerit, & præuenerit hunc tam salutiferum partum, heu perfodiet domum, sanctum germen extinguet. Cùm enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Eia ergo, festina, exi, recede, moriatur anima tua morte iustorum, quo fiant & nouissima tua horum nouissima. O quàm pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius! Fuge quæso, in via peccatorum ne steteris. Quomodo viuere potes, vbi mori non audes? At, inquis, ego me probo, an constans futurus sim? hæc enim vna est excusatio. Quid? in mari versaris periculosissimo, & quidem rei nauticæ ignarus, vt autem discas vis fragili cymbula te in altum dare, vt in medijs fluctibus ac scopulis probes an seruare te possis? Quid insulsius, quàm tanto malo periclitari velle, quod multo certius absque periculo nosces si velis? qui amat periculũ peribit in illo. Metuo*

tamen

tamen ne nõ perseuerẽ, ideò tergiuersor, & vt in arenam ingrediar, necdum à me impetro. Hæ aliæ sunt tricæ. Aggredi non audes? quid ni? audi te vocantem. *Tollite iugum meum super vos, iugũ enim meum suaue, & onus leue.* Suaue quid abhorres? leue, quid reformidas? denique, qui dedit velle, dabit & perseuerare. Cur quod infiniti alij ætate, viribus, ingenio, te imbecilliores possunt, tu non posses? potes vitæ sæcularis onus, (quod, & quãtum?) pati tamen potes: ferre non poteris suaue iugum, onus leue Religionis? recurrat hic tibi Augustinus in eodem illo salo olim versatus, at eluctatus tandem & egregius victor, ita ille de se scribit. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitas vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant, dimittisne nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in æternum? & à momento isto non licebit tibi hoc & illud vltra in æternum? Retardabant me cunctãtem abripere atque excutere ab eis, & transilire quò vocabar, cùm diceret mihi consuetudo violenta: putasne, sine istis poteris?* Tum inducit continentiam ita se hortantem; *Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & anus. Tu non poteris quòd isti & istæ in seipsis possunt, & non*

L.8.Conf. c.13.

non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis: quid in te stas, & non stas? proijce te in eum; noli metuere ne se subtrahat vt cadas: proijce te securus, excipiet te, & sanabit te. Moues, inquis, & prope est, quin abeo. Verum parentes fortiùs, quàm cætera retinent, orant enim, rogant, minantur, mœrent. Hic tandem funiculus ille triplex qui difficile rumpitur. Rumpendus tamen: accedãt huc iterum SS. PP. & suis ipsi verbis quasi cuneis nodum istum diffringant. Ego, ne verbum de meo addam. Venit prior in aciem S. Hieron. *Quid facis in domo paternâ delicate miles? vbi vallum? vbi fossa? vbi hyems acta sub pellibus? Audi edictum Regis tui: qui non est mecum, contra me est: & qui mecum non colligit, spargit. Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti: pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri. Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet paruulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater iaceat: per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexillũ crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re*

Epist. 1. ad Heliod.

re esse crudelem. Neque vero nescio qua te dicas compede præpediri. Non est nobis ferreum pectus nec dura præcordia: non ex silice natos hyrcanæ nutriere tigres. Et nos per ista transiuimus. Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis: nunc illi cum quibus adoleuisti venulæ, aiunt: cui nos seruituros relinquis? &c. Facile rumpit hæc vincula amor Dei & gehennæ timor. Et paulo post: *Si credunt in Christum, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos.* Eundem propè gladium in hac pugnâ stringit August. *Ecce rapit te studium veritatis agnoscendæ, atque percipiendæ voluntatis Dei in scripturis sanctis: rapit Euangelicæ prædicationis officium; dat signum Dominus vt vigilemus in castris ne ædificemus turrim de qua hostem sempiternæ vitæ & prospicere & propellere valeamus: rapit militem Christi tuba cœlestis ad prælium; & retinet mater?* Et infra: *Sed quid dicit, aut quid allegat? forte decem illos menses, quibus viscera eius onerasti, & dolores parturitionis, & labores educationis. Hoc, hoc interfice verbo salutari: hoc perde matris vt in vitam æternam illam inuenias: hoc memento vt oderis in ea si diligis eam. Si tyro Christi es, si turris fundamenta posuisti, ne dicant transeuntes, hic hoc cœpit ædificare, & non potuit consummare. Carnalis*

Epist. 38.

nalis affectus est iste, & adhuc veterem hominem sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis & in nostris militia Christiana, vt perimamus, hortatur. Triarius expugnando isti nimio parentum amori, isq; succenturiatus, prioribusque consentiens miles rem istam, pugnamq; omnem conficiat Bernardus. *Quid ad hoc respondebo tibi; vt matrem deseras? sed inhumanum videtur. Vt cum ipsa maneas? sed neque ipsi expedit vt filio sit causa perditionis. Forte vt & mundo simul milites & Christo? sed nemo potest duobus Dominis seruire. Mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc suæ ipsius saluti. Elige ergo tu ex duobus quod vis, aut vnius videlicet satisfacere voluntati, aut vtriusq; saluti. Verum si multum eam diligis, desere potius ipsam, ne si Christum deseras vt cum ipsa maneas, propter te pereat & ipsa. Alioquin male de te meruit quæ te peperit, si propter te perijt. Quomodo enim non perit, quæ ipsum quem peperit, perimit? Cęterum fidelis sermo & omni acceptione dignus, vt etsi impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum pijssimum sit. Nam qui dicit, honora patrem & matrem, ipse etiam dixit: qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.*

Epist. 104.

Placet vt tandem finiam, ad exẽplum, in hanc palæstram fortissimum pugilem

lem inducere, quem in simili lucta simili studio imiteris. Albertus ex illustri Comitum Falkenbergensium sanguine in Germania oriundus, cum ad Regem Galliæ, cui erat affinis, esset missus, vt cum Regia prole paulatim educaretur ad S. Dominici militiam Adolescens animum adiecit: qui nuncius vbi ad patrem venit, tenere se parẽs etsi iam ętate grauis non potuit, quin Lutetiam in magno suorum comitatu aduolaret. Quas non machinas adhibuit, vt filium, qui ei vnicæ erat flos familiæ, expugnaret? perstitit tamen in proposito Albertus, & tam fortem hostem, patris nobilis senis, flentis, minantis, vim omnem vicit. Accessit tum acrior etiam pugna at importuniore hoste Theodorico Consobrino: hic dolore amens, lacrimas, preces, argumenta, fortissimum denique telum, Matris vt, aiebat, iam iam morituræ, commemorationem admouit. Consederant autem ambo pugiles, ille Dei, hic mundi, è regione Iconis cuiusdam, in qua Christus, vt pingi solet, inter Matrem & Ioannem de cruce pendebat. Tum Albertus oculos ac digitum in eam tabellam intendens, En, ait, Dei Filius, cum Matrem & Consobrinum, vtrumque sibi tam charum do-

loris

loris gladio confossum videret, tamen è cruce, cui erat suffixus, etsi facile poterat, descendere noluit; sed in eâ cum suo & illorum cruciatu dum vixit, hæsit. Ego Religiosæ vitæ crucem quam semel conscendi, vecors deseram? at non faciam: ne si quidem te matremque, quam narras, examines hic iacere viderem. Quin tu potius in hanc mecum crucem subis, teque mundi pedicis liberas, quibus teneris cum tanto periculo? Quid plura? victus ab Alberto Theodoricus relicto sęculo, stupentibus omnibus Religionem quoque est ingressus. Nobilis pugil, ter vicisti, te ipsum primum, dein parentes, postremò consobrinum, accinere istud tibi lubet, io ter triumphe. Age & tu, mi, *Academice Adolescens*, in pari pugna, paribus animis consiste, vince, triumpha.

IM BIVIVM HERCVLIS.

ODE

Ad Dubitantium.

FLore sub primo titubantis æui
Non satis doctus stabilire gressum
Heu! nimis fallax iter experiri,
Tramite tentas.

Siste

Siste tantisper, simul insuetos
Rursus, & rursus speculare calles;
Ne quis incautum ferat, implicetve
Improbus error.
Turpibus ludens modulis voluptas
Huc, ait, quo te meus? ô virentis
Corculum Floræ, meliorque blandi
Gemmula veris.
Huc meus quo te stimulat Cupido?
Ne verecundis fuge nostra venis
Tela, queis imas rapit, estque fibras
Mollior ignis.
Quid nimis crudæ patiens iuuentæ
Vnus has horres, reicisque flammas?
I pharetrate, i, puer, & medullis
Fige sagittam.
Qualis è centum leuior Tonantem,
Qualis assuetam canibus Dianam,
Herculem, & bellis celebrem gradiuum
Fixit arundo.
Nunc habet: pectus penetrat sagitta:
Fallor? an rursum fugis? huc virentis
Coruclum Floræ, meliorque blandi
Gemmula veris.
En mihi candet niue lota ceruix,
Igneum flagrant gena, frons, & ora,
Non ebur diues, samiumve marmor,
Non rosa certent.
Murice epoto saturata vestis
Purpurat, circum volitant lepôres,

Et

Et ioci, & nugæ, facilesque risus,
Gaudia mille.
Persicos Bacchus tulit apparatus,
Et leui nectens hederâ coronas
E cado prompsit medicata vitis
Vina falernæ.
Iam redi. nam quid nimium moraris?
Te nemus pridem redolens reposcit,
Te vocant suaues violæ & loquacis
Lympha susurri.
Illicit contra generosa virtus;
Huc puer flammâ meliore dignus,
Huc ades, quo te pius vrget ardor,
Huc ades, inquit.
Illa te blandę Lea trux loquelæ
Erubescendo vitiat veneno:
Ah coloratam fuge peius angue,
Ah fuge Circen.
Nil mei vultus rigor exacerbet,
Ruga defectæ veneranda frontis;
Nil & angusto moueant acuti
Tramite sentes.
Nam rosas ornant, decorantque spinæ,
Mel Apes hastâ prohibent paratâ.
Post breuē morsū, lachrymamq; plāctus
Sidera calcans,
In pio cœtu superum recumbes;
Tum perennandis potiere mensis,
Tum trahes longum bene purpurato
Gutture nectar.
Melleum

Melleum si quid meretrix propinat
Aureo lactans calicis labello;
Melle sub paruo bibitur venenum
Diuite gemmâ.
Purpuræ quid te color iste cœcat?
Herculi fertur tunicam dedisse
Oenëis Virgo rutilante Nessi
Sanguine tinctum.
Hic oberrabat Phrygionis vndans
Arte Mæander, radiabat auro
Littus, & murex vada clara sparso
Tinxerat ostro.
Nescius fraudis, simul ille virus,
Induit, sæui rabiem Thyestæ,
Et graues, quæ nec Lapithas decerent,
Concipit iras.
Deîn in Oetæi volat alta montis;
Mox pyræ insistens moriturus ardet,
Exteros iungens penitus receptis
Ignibus ignes.
I voluptatis cape dona demens,
Si lubet flamma duplici perire,
I, te amor, i, te phlegetontis æternum
Vnda perurat.

Oratio ad Deum pro impetranda luce, ac gratia ad deligendum vitæ statum.

DEus & Domine mi, clarè intueor (quæ tua est gratia) quantum, quamque difficile sit negotium, vt agnoscam teneamque securum iter, quo ad te summum meum bonum pertingam. Scio præterea, quia ego tenebris errorũ & ignorationũ implicitus sine te, videre non possum, quã è multis tutiorẽ viam, sequar: tu verò nosti cor, & scis quid sit in homine, imperfectum enim meum viderunt oculi tui, nos pigmentum tuum sumus. Aperi Domine Deus oculos cœci nati, emitte lucem tuam, sedium tuarũ assistricem sapientiam de cælo: vt sciam quid sit acceptum coram te: nolo, volo, velim, nolim, provt tu vis vel non vis. Doce me facere volũtatẽ tuam quia Deus meus es tu. Domine quid me vis facere? Loquere, audit seruus tuus: iube quod vis & da quod iubes, ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ecce, hic ego te atq; vbiq; præsentẽ adorãs, corã diuina tua Maiestate animo & corpore prostratus, ô Rex superum, ac Domine vniuersorũ, licet indignissimus, fretus tamẽ tuâ ope ac gratiâ, me tibi penitus offero, meaq; omnia tuæ subijcio voluntati, attestãs coram illa tua infinita bonitate & in cõspectu Beatissimæ Virginis Matris tuæ, Angeli Custodis, Patronorũ meorum totiusq; Curiæ cœlestis hunc esse & fore animũ meum, hoc desiderium, hoc certissimũ propositum, vt te (provt fore intellexero ad maiorem tuam gloriam & animæ meæ salutem) proximè sequar & imiter in eo vitæ statu, ad quem sanctissimæ tuæ voluntati me vocare & recipere placuerit, per merita Filij tui Iesu Christi. Amen.

FINIS.

Coll. S. J. Paderb. jb 59

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN